SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCRIPSIT

IOH. BAKIUS.

αἰσχρὸν σιωπᾶν —.

Vol. IV.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. J. BRILL.

CIƆIƆCCCLII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

Pag.

Praefatio. . . . . VII.

I. *De instituto legum emendandarum apud Athenienses.* . . . . 1.

II. *Emendatur Cicero in Tusculanis Disputationibus.* . . . . 68.

III. *De Atheniensium εἰσφορᾷ.*

§ 1. *Quaeritur utrum singulorum bona publice aestimari solita fuerint, eique aestimationi accommodari εἰσφορά.* . . . . 115.

§ 2. *Quaeritur, utrum publica exstiterit cuiusque bonorum descriptio.* . . . . . . 126.

§ 3. *Quaeritur, quid sit τὸ τίμημα.* . . . 137.

§ 4. *De Symmoriis.* . . . . 152.

§ 5. *De inquilinorum εἰσφορᾷ.* . . . . . . 177.

IV. *Emendantur Ciceronis Orationes Verrinae Actionis Secundae.* . . . . 184.

Lib. I. p. 186. Lib. II. p. 195. Lib. III. p. 207. Lib. IV. p. 213. Lib. V. p. 228.

Pag.

V. *Attica.*

§ 1. *De Poletis et de Poleterio.* . . . . . . 245.
§ 2. *De praediis publicis Atheniensium.* . 249.
§ 3. *De Pentecoste et Pentecostologis.* . . . 269.
§ 4. *Quid sint ἐπώνια.* . . . . 272.
§ 5. *Utrum δοκιμασία ante an post sortitionem instituta fuerit.* . . . . 275.
§ 6. *De δοκιμασίᾳ Areopagitarum.* . . . . 276.
§ 7. *De Nomophylacibus.* . . . . 277.
§ 8. *Quid sit προχειροτονεῖν.* . . . . 279.

VI. *Emendantur Ciceronis Miloniana et Pisoniana.* 285.

VII. *Corriguntur nonnulla in Aeschinis Ctesiphontea.* . . . . 315.

PRAEFATIO.

Vetus querela est et cantilena, inde a renatis propemodum literis in virorum doctorum praefationibus decantata, minui et refrigescere studia veterum literarum, in quo deplorandam et castigandam esse hominum vel inertiam vel stultitiam. Non solent mihi deesse quae opponam, si quem offendam in hoc genere difficilem, querulum, laudatorem temporis acti se puero, ut ait ille; et parum abest ut istiusmodi praesentis aetatis censoribus succenseam. Fuerint sane plures olim qui Graeca et Latina volumina pertractarent, quum, quod cognoscendi voluptatem aut liberalem animi eruditionem et exercitationem ingenii afferret,

haud fere quidquam praeter illa suppeditaret, quumque gravissimarum etiam disciplinarum nec praesidia neque instituta usquam, nisi istic invenirentur: sed tantum abest ut in earum rerum, de quibus agitur, tum studio, tum prudentia proavis nostris inferior sit praesens aetas, ut longe multumque hanc superiorem esse existimem. Non attinet hoc commemorare, in tanta studiorum varietate, et in tam incredibili progressu humani ingenii quantum hodie intuemur, locum ipsum et, si quis vult, dignitatem esse mutatam eius disciplinae, quae nihil nisi veteris Graeciae et Romae monumenta perscrutanda proponat: sed hoc ipsum non tantum sine illorum studiorum detrimento, sed magno cum emolumento perfectum est. Etenim, quo maiori industria ac felicitate suum quisque sermonem suasque literas recentiori aetate excoluerunt, quoque longius et continuo magis rerum divinarum et humanarum scientia perficiebatur, tanto magis intellectum est duo esse tamquam communionis vincula, quibus haec eruditio cum veterum illorum conditione iungeretur, quorum alterum cerneretur in ea

virtute quae quod pulcrum sit, quodque deceat sequitur, alterum in gravissimarum rerum prudentia et iudicio. Non solvuntur haec vincula aut temporum et locorum intervallo, aut morum et institutorum vitaeque degendae disparitate; quippe suspensa sunt ex ingenio, quod perpetuo et ubique unum est, quamvis eo alii aliter et aliis temporibus moventur. Tanto minus probare soleo hoc disputandi genus eorum, qui peculiarem et seiunctam a reliquis nescio quam antiquitatis, ut appellant, disciplinam describere conantur. Nam, praeterquam quod ea, quam complectuntur, materia neque definitionem artis, neque distributionem accipit, ne attingere quidem eam licet ei, qui hodiernae eruditionis expers aut rudis est, si modo eum frustra attingere dicemus, qui iudicare, et suo quodque pretio aestimare nihil potest. Quod si veterum literarum studiis hoc tantum esset propositum, ut nobis facultatem nescio quam compararemus, verbi causa sermonis imitandi, aut aliorum operum, quae illi condidissent, quaeque ad nostram aetatem servata essent, intelligerem huius

dexteritatis artem quandam excogitari posse, cuius certa distributio certaque praecepta essent. Iudicare autem et persentiscere aliena et extranea neque rite quisquam poterit nisi collatis iis, quae sua et propria habeat, et tanto melius hoc fungetur munere, quo praestantiora et splendidiora sint illa domestica, quibus in comparatione utatur. Hinc una est illa eruditio, quam utriusque generis contentione confirmari et perfici existimo: quique suis contenti sunt, his ne tantillum quidem laudis detrahi cupio, sed, si qui vetera illa sic, ut decet, intelligere velint, parum proficient vel sibi, vel aliis, nisi ea ex iis ipsis interpretabuntur, quae domo ipsi afferant.

Constitueram haec pluribus persequi, quum non difficile esset demonstrare quam insigniter nostra aetate materia cognoscendi crevisset, quamque luculentioribus iudicandi praesidiis uteremur quam qui ante vixissent; tum in longe plerisque saniorem et firmiorem rationem investigandi servari; postremo, quae in hac disciplina sive cum enunciandi, sive cum quavis alia arte coniuncta sint, sive rursus ad

historiae eventus, sive ad societatis civilis causas et vicissitudines pertineant, ita hodie ab intelligentissimo quoque excuti, non ut demergatur inanibus et tamquam hiulcis quaestionibus, sed ut cuncta ipse dominetur servetque eam necessitudinem, qua ista cum huius aetatis et literarum et quarumvis rerum luce ac prudentia coniuncta sunt. Sed non aggredior longiorem disputationem. Tantum dico, neque remissum esse studium veterum literarum, neque relaxata esse vincula quibus cum huius aetatis eruditione necessario colligatur, nec reformidare insipientis vulgi contemtum, quamdiu pauci erunt qui continuo veram huius disciplinae et rationem et consilium emendent et regant, sed quorum in optimis artibus, quibus haec vita sustentatur, late poterit valere industria et auctoritas.

Quae hoc volumine complexus sum ex eodem genere sunt quo superiora; magni aut splendidi nihil profiteor, sed institutum servo idem, ut, quae in scholis disputaverim aut attigerim, meo more vel in brevius contraham, vel, si opus videatur, diligentius ornem. Re-

stant tum alia, quae promisi, perficienda, tum ea retractanda, in quibus doctissimorum virorum dissensionem a mea sententia cognovi. Utrique officio sic, ut decet, pro viribus satisfacturum me spero.

I.

De instituto legum emendandarum apud Athenienses.

Controversiae nonnullae explicandae et, si fieri potest, dirimendae sunt, quae viros doctos exercere solent in interpretanda causa Nicomachi, adversus quem est Lysiae Oratio, et in causa Leptinea apud Demosthenem.

Nomothetarum antiquissima mentio est apud Thucydidem VIII. 97, ubi tradit, quo modo, pulsis Quadringentis, summa rerum *τοῖς πενταχισχιλίοις* fuerit commissa: tum, *ἐγίγνοντο δὲ*, inquit, *καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι, ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἄλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν.* Interpretes hos Nomothetas eos fuisse

existimant, quibus vel nova disciplina civitatis describenda tum mandaretur, vel certe legum Solonearum recognoscendarum negotium, igitur, utrumcumque probetur, potestatem eam extraordinariam fuisse. Quibus prius illud placuit, ii similes habuisse videntur Nomothetas istos iis, quos, in narratione de Quadringentorum imperio constituto, Thucydides VIII. 67. *ξυγγραφέας* appellat, quos populus denario numero creavisset *αὐτοκράτορας*, hac potestate, *ξυγγράψαντας γνώμην εἰσενεγκεῖν ἐς τὸν δῆμον — καθ' ὅ τι ἄριστα ἡ πόλις οἰκήσεται.* Huiusmodi quid primum minus decebat eos, qui oligarchiam *κατέπαυσαν*· tum excluditur adeo mentione gravissimarum rerum, quas statim ipse populus decrevisset ad constituendam speciem civitatis (*ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν*): neque, si extraordinaria illa potestas fuisset, omisisset Thucydides hoc explicare, quemadmodum in *ξυγγραφεῦσι* fecerat, nec hos Nomothetas ita cum reliquis omnibus (*καὶ τἄλλα*) coniunxisset.

Neque magis altera interpretatio laudanda est, fuisse illos Nomothetas destinatos recognoscendis et conformandis obsoletis iam Solonis legibus; quae sententia est Bergkii, viri acutissimi, in Epist. ad Schillerum, ad calcem Lysiae Schilleriani, p. 145: qui eo usque progreditur, ut Ni-

comachum Lysiae in his Nomothetis fuisse dicat. Non reputavit Bergkius, negotium illud, quod Nicomacho aliisque mandaretur, nullo modo pertinere potuisse ἐς πολιτείαν, i. e. ad descriptionem imperii et iuris publici; tum, non Nomothetam, sed ἀναγραφέα fuisse Nicomachum appellatum (vid. Lysiae Oratio, passim). De Nicomacho mox. Sed Thucydides mihi videtur hoc significare, ab illo tempore repetendum esse institutum illud Nomothetarum perpetuum, quo nitebatur libera et continua opportunitas legum vel emendandarum vel mutandarum, sine omnium rerum perturbatione, quae aliquoties iam debilitavisset et afflixisset civitatem. Sed, quum constanter servare studerent Solonearum legum auctoritatem, (id quod de omni reliqua aetate liberae Athenarum civitatis affirmare licet,) quumque harum legum diligenti cognitione niterentur et privatorum iura inter ipsos, et ipsa rei publicae disciplina, tum sacra et caerimoniae, facile intelligitur eos, qui Quadringentorum oligarchia sublata libertatem restituissent, aliquanto paratiorem et faciliorem earum legum usum praestari voluisse, quam qui eo usque fuisset, ipsasque ita tamquam validiori praesidio muniri.

Erant autem Solonis leges inscriptae in ligno, sed ea tabularum et mole et forma, quae sane

minus commodam earum cognitionem redderet. Eas tabulas universas κύρβεων nomine appellatas fuisse, alterumque nomen ἀξόνων non nisi ex interpretatione fluxisse, luculenter et acute demonstravit Hullemanus (*), ita tamen, ut iam ante Demosthenis aetatem haec postrema appellatio invaluisse videatur: non enim, ut ille putat, primus Demosthenes sic appellaverat, Aristocrat. p. 630. 12, sed recitaverat modo legem, in qua hoc erat, ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀγορεύει· nam, sicut ipsa vocabula, λυμαίνεσθαι, et ἀποινᾶν, quae ex lege interpretatur Demosthenes, antiquioris erant sermonis, ita apparet legem ipsam fuisse Soloneam, sed rescriptam postea, servata tamen vetustiori forma dicendi, idque τοὺς ἀναγράψαντας necesse iudicavisse indicari.

Neque tum demum ita videntur iudicasse Athenienses, pertinere ad πολιτείας firmamentum et praesidium, si legum Solonearum prompta et facilis cognitio redderetur, sed, quum illae tabulae pridem in arce fuissent, transtulit eas inde in ἀγορὰν Ephialtes (ἄνωθεν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τὴν ἀγορὰν μετέστησεν), quod ex Anaximenis Philippicis tradit Harpocration v. ὁ κάτωθεν νόμος. Quod si

(*) In *Quaestionibus Graecis* I., quae prostant in *Symbolis Literariis*, Vol. V.

verum est, fieri non potest ut Aristotelis verba, quae ex Politia Atheniensium apposuit idem Harpocration v. *κύρβεις*, (*ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τοὺς κύρβεις ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείῳ*) referantur ad primam Solonis legislationem. Primum istud *ἀναγράφειν* in illo tantum rescribendi instituto usurpatur, de quo mox videbimus. Deinde perquam dubium est, an Solonis iam aetate *ἡ βασίλειος στοὰ* condita fuerit: de Prytaneo certe, quum Polemon (apud Harpocrat. v. *ἄξονες*) dixisset, has tabulas *διασώζεσθαι ἐν τῷ πρυτανείῳ*, temere conficit Leakius (Topogr. Ath. interpr. Baiter. et Saupp. p. 6.) Solonis aetate aedificatum esse: contra, id quod de Ephialte traditur, universe confirmatur, nescio quo auctore, verbis Pollucis VIII. 128, qui profecto non de suo, sed acceptum ex historia hoc adiecit, quibus confirmatur mea suspicio, tabulas ideo ex arce in prytaneum et *ἀγορὰν* fuisse translata, *ἵνα πᾶσιν ἐξείη ἐντυγχάνειν*. Plutarchus quoque sua aetate istarum tabularum *μικρὰ λείψανα* servari tradit in Prytaneo, Solon. cap. 25. Verius idem Leakius p. 10. suspicatur, *στοὰς* illas nobilissimas, quas Pausanias etiam vidisset, a Cimone conditas fuisse.

Tabulas illas Soloneas mirandum sane est eva-

sisse latrocinium et incendium, quo ipsa quoque arx a Persis vastata fuit: Herodot. VIII. 53 fin. Sed fieri non potest quin vel vetustate, vel alia de causa, multum attritae fuerint Ol. 92. 2, arch. Theopompo, de quo tempore loquitur Thucydides. Et haec, nisi fallor, causa fuit, cur, pulsis Quadringentis, *ἀναγραφεῖς* crearentur, qui leges Soloneas, partim in tabulis ligneis obliteratas aut evanidas, partim fortasse ideo memoria tantum a pragmaticis servatas, denuo inscriberent in lapide, itaque earum et memoriam firmius custodirent, et copiam omnibus faciliorem redderent.

In iis, quibus hoc negotium tum mandatum fuit, Nicomachus est, quem Lysiae Oratio accusat. Huius memoriam docte illustravit Bergkius l. c. p. 141 sqq., disiectis tenebris, quas Bremii haud sane diligens interpretatio huic argumento offuderat. Igitur Nicomachi vitam ante actam breviter percurrens Orator, hoc dicit § 2: *ἐπειδὴ δὲ τῶν νόμων ἀναγραφεὺς ἐγένετο, τίς οὐκ οἶδεν ὅσα τὴν πόλιν ἐλυμήνατο; προσταχθὲν γὰρ αὐτῷ τεσσάρων μηνῶν ἀναγράψαι τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος, ἀντὶ μὲν Σόλωνος αὐτὸν νομοθέτην κατέστησεν, ἀντὶ δε τεττάρων μηνῶν ἑξέτη τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο.* Tantum igitur abest, ut Nomotheta fuerit Nicomachus, ut potius *ἀφανίζειν*

etiam τὴν νομοθεσίαν dicatur immoderate protracto munere suo, apud Lysiam Nicom. fin.

In perpaucis erroribus Bergkii hic notandus est, quod verba, quae illis apud Lysiam statim subiiciuntur, perperam interpretatur: καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν ἀργύριον λαμβάνων τοὺς μὲν ἐνέγραφε, τοὺς δ' ἐξήλειφεν, i. e. stipendium accepit, inquit vir doctissimus. Sed stipendium diceretur μισθός· tum hoc quoque neglexit, quod diserte memorat Thucydides, decrevisse tum Athenienses, μισθὸν μηδένα φέρειν μηδεμιᾷ ἀρχῇ· postremo ἀργύριον λαμβάνειν in eo dicitur, qui pecunia corrumpi se patitur, sicut de Aeschine Demosthenes F. L. p. 377. fin. ὅτι χρήματ' εἴληφεν Αἰσχίνης καὶ πονηρός ἐστιν ἀργυρίου συνεχῶς. et, οἱ ὁτιοῦν ἀργυρίου ποιήσαντες, ibid. p. 366. med. Huiusmodi ἀργύριον per figuram nonnumquam μισθὸς appellabatur, sicuti in Timocrat. p. 731. med., nunquam contra, ἀργύριον dicebatur qui μισθός erat; ne apud Aristophanem quidem Eccles. 305. (πράττειν ἐπ' ἀργυρίῳ· Timocr. p. 762. fin.) Et si in Timocratea p. 706. fin. ex lege hoc recitatur, περὶ τοῦ ἀργυρίου ὁπόθεν τοῖς νομοθέταις ἔσται, manifesto vel supplendum, vel cogitando intelligendum est, ὁ μισθὸς ἔσται. De Nicomacho in eandem sententiam apud Lysiam § 25 dicitur, ἐπὶ τῇ ἀναγραφῇ

δῶρα λαμβάνειν. Neque hoc omittendum est, in Bergkii interpretatione requiri ut Orator dixisset καθ' ἡμέραν, non καθ' ἑκάστην ἡμέραν, qua forma utitur Demosthenes quoque Pro Coron. p. 310. 8.

Satis igitur constat arch. Theopompo nihil aliud spectavisse Athenienses, quam ut servarent Solonis leges, earumque memoriam et auctoritatem redintegrarent, ut identidem rite deinceps per Nomothetas corrigerent et emendarent: cuius postremi instituti facultatem impedivit Nicomachus, qui impositum sibi negotium eo usque traxerit, donec per Lysandrum tota civitatis forma everteretur. Sed quum in illa omnium rerum perturbatione ipse quoque patria cessisset, mox, eiectis Triginta-viris, redux, idem munus nactus ἀναγραφέως, easdem moras nectere, easdemque fraudes committere coeperat. Memorat hoc Lysias § 4. ἐπειδὴ ἐκείνων δίκην οὐ δέδωκεν, ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεστήσατο· modo corrigatur ὁμοίαν· et incredibile fere videtur viros doctos istud ὁποίαν tamdiu sine offensione legisse. Sed haud alienum est animadvertere, post Triginta-viros eiectos idem munus ἀναγραφῆς non tamquám novum et integrum delatum fuisse Nicomacho, sed tantum ut continuaret et absolveret prius instituta. Nempe apud Lysiam subiiciuntur haec: ὅστις πρῶτον μὲν τέτταρα ἔτη

ἀνέγραψεν, ἐξὸν αὐτῷ τριάκοντα ἡμερῶν ἀπαλλαγῆναι. Igitur quod ante Trigintaviros quatuor mensium fore negotium iudicabatur, nunc intra triginta dies absolvi potuisse credibile nullo modo est, nisi bonam partem elaboratam fuisse statuimus. Id quod confirmatur statim sequentibus: ἔπειτα διωρισμένον ἐξ ὧν (fort. ἀφ' ὧν) ἔδει ἀναγράφειν, i. e. unde continuanda esset ἀναγραφή, quum cetera iam absoluta essent, αὑτὸν ἁπάντων κύριον ἐποίησεν.

Sic potestate abusus, nomine quidem ἀναγραφεύς, re et facto tamen Nicomachus erat Nomotheta: et hoc ei obiicitur apud Lysiam § 27: factus est, inquit, ἀντὶ ὑπογραμματέως νομοθέτης· et in seqq. per irrisionem opponit eum Soloni, et Themistocli, et Pericli, quos nomothetas appellat. Iniuria igitur propter haec a Bergkio l. c., quemadmodum ab Hoelschero (Vit. et script. Lysiae, p. 113), creditum est, Nicomachum cum Tisameno inter Nomothetas fuisse, qui post Trigintaviros creati essent: de quo psephismate mox videbimus. Sed prius hoc quoque in Bergkii disputatione castigandum est, quod p. 154 existimat, ea tantum Nicomacho ut recenseret commissa fuisse, quae ad sacra pertinerent. Verba Lysiae, quibus hanc opinionem commendat, sunt haec, § 17: miror,

inquit Orator, si non reputat, se, ubi me impietatis accuset, λέγοντα ὡς χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν κατὰ τὰς συγγραφὰς, accusare civitatem; itaque eos quoque sceleris arguere, οἳ τὰ ἐκ τῶν κύρβεων μόνον ἔθυον, i. e. maiores nostros. Sed nondum in mentem venerat Bergkio, id quod nunc planissime ab Hullemano demonstratum est, vanum esse istud discrimen inter κύρβεις et ἄξονας. Accedit, quod diserte omnem illam distributionem muneris, quasi sacrorum tantum ἀναγραφεὺς fuisset Nicomachus, tollunt haec verba § 25: ὃς καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν ἀναγραφεὺς γενόμενος εἰς ἀμφότερα ταῦτα ἡμάρτηκεν. De iis autem, quae modo ex § 17 recitabam, non negligendum est, στηλῶν deberi Tayloro, quum in libris sit vel ὅπλων vel εὔπλων· qua correctione id Oratori tribuitur, quod rebus ipsis contrarium est. Nam sicuti κύρβεις erant Solonis, ita στῆλαι erant Nicomachi, in quas hic leges illas transscribebat: ideoque inter se opponuntur § 21. Si mei arbitrii esset, legerem καὶ ἁπλῶς κατὰ τὰς συγγραφάς, i. e. ut nihil addatur iis, quae verba legis Soloneae postularent. Sic enim interpretor τὰς συγγραφὰς, ut sint ipsae primae singularum legum istarum per Solonem compositiones, quemadmodum scripto

ab eo consignatae essent. Sic et ξυγγραφεῖς, apud Thucydidem VIII. 67, ct συγγράφειν, apud Xenoph. Hellen. II. 3. 2. et 11, tum in psephismate apud Andocid. Myster. § 96, et σύγγραμμα apud Platonem Phaedr. p. 258. A. ad legum aut psephismatum compositionem et auctoritatem referuntur. Postremo, ne hoc quidem recte contendit Bergkius p. 155, triginta tantum dies Nicomacho assignatos fuisse, intra quos opus absolveret, ideoque gesti muneris rationes reddere non opus habuisse propter eam disciplinam, quam explicet Aeschines Ctesiph. § 14. Dixerat Orator de Nicomacho, § 4. ἐξὸν αὐτῷ τριάκοντα ἡμερῶν ἀπαλλαγῆναι, quibus verbis id, quod fieri potuisset, non quod mandatum esset, significatur.

Sed propterea quoque minus recte Bergkius in ea re usurpat legis istius apud Aeschinem auctoritatem, quod Nicomachus, multo etiam melius quam Ctesiphon aut Demosthenes apud Aeschinem § 13, respondere poterat, οὐκ ἔστι ταῦτα ἀρχὴ, ἀλλ' ἐπιμέλειά τις καὶ διακονία. Quae enim Orator de Nicomacho dicit, § 4. τοσαῦτα διαχειρίσας μόνος οὗτος τῶν ἀρξάντων εὐθύνας οὐκ ἔδωκεν, per calumniam verborum dicta sunt. Ipsum enim illud διαχειρίζειν τι τῶν τῆς πόλεως, ut satis constat, ad pecuniae publicae

ex aerario administrationem et dispensationem pertinet; id, quod a negotio Nicomachi alienissimum erat: multoque minus isti ἀναγραφεῖς habebant ἡγεμονίαν δικαστηρίου. Fuit omnino Nicomachus nihil aliud, nisi ὑπογραμματεύς, sed cui hoc extraordinarium munus ἀναγραφῆς ἐκ τῶν κύρβεων mandatum fuerit. Nihilominus erat ὑπεύθυνος· sed quoniam istius non potestatis, sed curae nulla certa tempora definita erant, neque ex lege, neque ex psephismate, ne definitum quidem rationum in iudicio exigendarum tempus erat: quumque hanc causam tamen, ut mihi quidem videtur, ἐν εὐθύναις dixerit, eo adductum fuisse suspicor per εἰσαγγελίαν apud populum, non ita, ut institutum iudicium fuerit secundum τὸ πάτριον καὶ ἔννομον κήρυγμα apud Logistas, τίς βούλεται κατηγορεῖν, Aeschin. Ctesiph. § 23.

Videndum nunc est de Tisameni psephismate, quoniam cum hoc Nicomachum coniungit Bergkius, qui p. 153. fin. dicit, suspicari se Nicomachum fuisse in numero decem illorum, quos Senatus elegisset secundum Tisameni psephisma.

In Andocidis Oratione de Mysteriis (de qua haud contemnenda disputavit nuper Naberus meus, doctus adolescens) psephisma sic describitur:

Ἔδοξε τῷ δήμῳ, Τισαμενὸς εἶπε, πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος, καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς, χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ· ὁπόσων δ' ἂν προσδέῃ, οἵδε ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί. τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὰν ὀμωμόκασιν (l. ὀμωμόκωσιν)· ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅ τι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων· ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον, ἵναπερ πρότερον ἀνεγράφησαν σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ.

Huius psephismatis et auctoritas et interpretatio disceptanda est ex historia illorum temporum: vereor enim ut recte omnia exposuerit Schoemannus Comitt. Athen. p. 270 sq.

Oligarchos tollere voluisse eam civitatis formam quam δημοκρατίαν appellabant, intelligimus ex Lysiae Oratione § 10 (ἐπειδὴ ἡ μετάστα-

σις ἐπράττετο) et § 14 (ἐν τοιούτῳ καιρῷ, ἐν ᾧ ἡ πολιτεία μεθίστατο). Tum, simulatque deinde Lysander urbis et Piraeei potitus erat, creavit populus Triginta-viros, οἵ τοὺς [πατρίους] νόμους ξυγγράψουσι, καθ' οὓς πολιτεύσουσι· Xenoph. Hellen. II. 3. 2. In his leg. οἵτινες, et πατρίους del., quod recte omittitur § 11. Non enim veteres leges de imperio revocandae, sed novae ferendae erant, et hoc, non illud, erat munus ξυγγραφέων, sicut apud Thucydidem VIII. 67. Contra, eiectis Trigintaviris, recte in Tisameni psephismate dicitur, πολιτεύεσθαι κατὰ τὰ πάτρια, hoc est δημοκρατεῖσθαι, quae pridem fuerat civitatis forma, ita ut quaevis oligarchia excluderetur, omniaque τῷ δήμῳ redderentur et τῷ πλήθει· et hoc erat, quod tum Thrasybulus suaserat, τοῖς νόμοις τοῖς ἀρχαίοις χρῆσθαι· Xenoph. Hellen. II. 4. 42. Sed corrupta sunt in illo psephismate sequentia: ὁπόσων δ' ἂν προσδέῃ, οἵδε ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ κτέ. Quis enim in Atheniensium civitate probet Nomothetas a Senatu lectos? Neque istud ἀναγράφειν ullo modo Nomothetis, quos, ut in sequentibus dicitur, δοκιμάσαι τοὺς νόμους una cum Senatu oportebat, tribui potuit. Credibile est, illo vocabulo ex-

puncto, reliqua sic legenda esse, *οἱ δέκα ᾑρημένοι ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγραφεῖς·* et in his non dubitandum quin fuerit Nicomachus, quem *εἵλεσθε ἀναγράφειν τὰ πάτρια*, inquit Lysias § 30, i. e. leges Solonis: conf. § 2. Tria igitur et in illo psephismate, et in aliis istorum temporum monumentis distinguenda sunt: primum *ἀναγράφειν ἐν σανίσιν καὶ ἐκτιθέναι πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων* (sicut loquitur lex apud Demosth. Timocrat. p. 707. med. et Aeschines Ctesiph. § 39, aut *πρὸς τῇ θεῷ*, ut est in Orat. c. Neaer. p. 1381. med., non *πρὸς τοὺς ἐπωνύμους*, ut est apud Andocidem:) alterum, *δοκιμάζειν*, tertium, *τοὺς νόμους δοκιμασθέντας*, itaque *τεθέντας*, *ἀναγράφειν ἐν τῇ στοᾷ*. Eodem modo leges *τεθῆναι*, et *ἀναγεγράφθαι* coniuncta sunt in Dioclis lege, apud Demosthenem Timocrat. p. 713, lata aliquot annis post Euclidem, et in qua sermo est de definiendo tempore ex quo tum *οἱ νόμοι οἱ πρὸ Εὐκλείδου τεθέντες ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ὅσοι ἐπ' Εὐκλείδου ἐτέθησαν καὶ εἰσὶν ἀναγεγραμμένοι*, tum *οἱ μετ' Εὐκλείδην τεθέντες καὶ τὸ λοιπὸν τιθέμενοι*, essent *κύριοι·* de qua lege ita dissentio a Meiero Bon. Damn. p. 71. not. 233, ut in ea *δοκιμασίας* istius mentionem non requiram, neque igitur pugnare existimem cum Tisameni psephismate.

Tum, si Andocidi § 85. fides habenda est,

eventum habuit istud psephisma, et ἐδοκιμάσθησαν οἱ νόμοι, τοὺς δὲ κυρωθέντας ἀνέγραψαν εἰς τὴν στοάν· (modo, § 82, dicebatur ἐν τῇ στοᾷ· utrumque dici, apparet ex Lycurgo Leocrat. § 117.). In quibus hoc factum non erat, eae leges erant ἄγραφοι, quibus ne ulla quidem in re uti licebat: Andocid. ibid. Sed propter illum eventum, necessario statuendum, causam Andocideam de Mysteriis certe aliquanto post Nicomacheam incidisse. Quodsi autem illa ἀναγραφὴ εἰς τὴν στοάν propria fuit istius instituti omnium legum recognoscendarum, quod, post Quadringentos sublatos susceptum, nec tamen perfectum, denuo, Triginta-viris eiectis, etiamsi per Nicomachi moras fraudesque retardatum, tamen ad postremum perfectum est, fieri non potest ut Aristotelis verba, ex Politia Athen., quae apponit tum Harpocration, tum Photius v. κύρβεις, vitio careant. Credibile est enim, Aristotelem ea tempora cogitare, quae modo indicavi: et excidisse suspicor ea, quibus diceretur, οὐχ ὥσπερ τοὺς κύρβεις ἐν πρυτανείῳ —.

Iam constat quodammodo quale negotium Nicomacho ceterisque ἀναγραφεῦσι fuerit impositum, nempe, ut est in Tisameni psephismate, ὁπόσων (νόμων) προσδέῃ, scilicet praeter Solonis leges et Dracontis θεσμούς, itaque eas quae post

Solonem identidem latae fuerant, ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι πρὸς τοῖς ἐπωνύμοις, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, καὶ παραδιδόναι ταῖς ἀρχαῖς, ἐν τῷδε τῷ μηνί. De rebus ipsis, quae hoc decreto continentur, etiamsi nihil esset dubitandum, in verbis tamen hoc attendimus, neque per se legis diligentiae convenire ut dicatur aliquid fieri oportere ἐν τῷδε τῷ μηνί, et Atticorum consuetudinem postulare ut, pro menstruo spatio, dicatur ἐν τριάκοντα ἡμέραις, sicut est apud Lysiam: conf. Elmsleius ad Aristoph. Acharn. 858. Igitur in re haud dissimili, in lege Dioclidis, apud Demosthen. Timocr. p. 713. 26: ἐπιγράψαι δὲ — τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς τριάκοντα ἡμερῶν.

Sed ista potestate, nempe τοῦ ἀναγράφειν ὁπόσων ἂν δέῃ, abusus esse videtur Nicomachus, fortasse in aliis quoque, sed certe, quantum apud Lysiam indicatur, ἐν ἱεροῖς, quum in στήλας contulisset alia sacra praeter τὰ πάτρια, quorum auctoritas a Solonis legibus peteretur, consuluisse se praedicans in defensione civium pietati: vid. Lysias § 21. Apparet enim ista, quae Nicomachus ἀνέγραψε, neque ex iis esse ἃ ὁ δῆμος ἐψηφίσατο, neque τῶν προσταχθέντων. § 19. Itaque iure mihi videor Taylori correctionem in § 17 repudiasse: et ne Hullemani quidem suspicio probanda est, στήλας dici leges post Solo-

nem latas. Novarum scilicet legum ferendarum quamquam ipse Solon, ut in Leptinea videbimus, modum ac disciplinam constituerat, vix tamen credo ullas perlatas post eum fuisse, quae quidem in civium rationibus inter ipsos quidquam mutarent. Hoc quodammodo confirmare licet ex Demosthene Leptin. p. 484. 22. *καὶ γάρ τοι τότε μὲν* (quum illa Solonis lex vigebat) *τέως τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν, τοῖς μὲν ὑπάρχουσι νόμοις ἐχρῶντο, καινοὺς δ' οὐκ ἐτίθεσαν.* quae ita videntur interpretanda esse, non ut nihil omnino mutatum fuerit in Solonis legibus, sed ut novi nihil adderetur, semper autem priori tantum lege abrogata alia substitueretur.

Sed in Tisameni psephismate vix defendi posse existimo id, quod dicitur *παραδιδόντων (οἱ ἀναγραφεῖς) ταῖς ἀρχαῖς.* Quibus magistratibus? De Thesmothetis, quos Aeschines memorat Ctesiphont. § 38 cogitare non licet, quorum opera in alia re versabatur: et ne hos quidem appellat Demosthenes Leptin. p. 485. 18. qui coniungit *ἐκθεῖναι πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων καὶ τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι.*

Sequitur, *τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο ἐπειδὰν ὀμωμόκωσιν.* Non puto illam legum, quae rescri-

ptae essent, δοκιμασίαν vel bis institutam fuisse, primum in Senatu, tum in Nomothetarum collegio, vel coniunctim cum Nomothetis iudicasse Senatum. Praecipit quidem psephisma de peculiari et novo instituto, sed tamen tam religiose servare solebant Athenienses veterum institutorum analogiam, ut, quantum quidem ex Demosthene Leptin. p. 485. 11. (παρ' ὑμῖν, ἐν τοῖς ὀμωμοκόσι) conficitur, non nisi apud Nomothetas institui solita fuisse illa δοκιμασία videatur. Nec minus novum est, quod de istis Nomothetis dicitur, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο. Suffragiis si designandi essent, non οἱ δημόται, sed ὁ δῆμος illo iure utebatur. Adversatur autem isti civitatis disciplinae et descriptioni, ut quingeni Nomothetae suffragiis crearentur, quos, quippe ipsos universi populi iure ac potestate in re gravissima utentes, et inter quos, tamquam ἐν δικαστηρίῳ, disceptatio de legibus esset instituenda, sorte designatos fuisse consentaneum est.

Ne reliqua quidem sine animadversione dimittere possumus. Velut illud, ἐπειδὰν ὀμωμόκωσιν, in hac verborum compositione dubium esse potest utrum ad δημότας, an ad Nomothetas quingentos sit referendum: vitavisset ambiguitatem si, id quod solet, scripsisset ἐκ τῶν ὀμωμοκότων. Porro in hoc offendo, quod in psephis-

mate ἰδιώτης ὁ βουλόμενος appellatur, quum ἰδιώτου appellatio sit sermonis communis, non legum aut psephismatum. Quaero item, quo consilio τῷ βουλομένῳ concedatur εἰσιέναι εἰς τὴν βουλὴν, si potestas omnis Nomothetarum collegio permittebatur? Non dicam nunc praeter exspectationem interponi de Areopago, penes quem futura esset custodia legum: sed certe pro τοὺς κυρουμένους τῶν νόμων, consuetudo postulabat τοὺς δοκιμασθέντας. Prorsus inexplicabile est, quum dicitur ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον, quum ipse Orator bis, et recte, dixisset ἐν τῇ στοᾷ, aut εἰς τὴν στοάν. Requirebatur εἰς τὴν στοὰν τὴν βασίλειον. Tum falsissimum est id, quod subiicitur, ἵναπερ πρότερον ἀνεγράφησαν. Solonis enim leges non ἀνεγράφησαν sed ἐνεγράφησαν. (Plutarch. Solon. c. 25. κατεγράφησαν). Neque vetus hoc erat institutum, ut leges in porticu regia exponerentur, sed novum. Postremo otiosissimum est quod adiicitur, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ.

His omnibus consideratis difficile est premere suspicionem, formulam hanc psephismatis confictam esse, etiamsi non intercedam, quo minus argumentum et sententia vera sit.

De actione in Nicomachum si quaeritur, perquam dubito an recte sentiat Meierus Att. Proc.

p. 214. causam hanc esse εὐθυνῶν. Non erat istorum ἀρχή· nihil iis προσετάχθη, nisi ἀναγράφειν τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος, tum παραδοῦναι. (Lysias § 2 et 3). Quod in hoc mandato perficiendo morabantur, non erat eiusmodi crimen, quo quis eos apud Logistas convenire posset. Sed quod per illud tempus legum, quibus cives uti, quibusque totam civitatem regi oporteret, tabulas civium usui et cognitioni subtraherent, itaque se ἁπάντων κυρίους ἐποίησαν (§ 4), singulisque, qui indigerent, tamquam de suo leges dispensarent (τεταμιευόμεθα τοὺς νόμους § 3.), itaque plebi insidias struerent (ἐπιβουλεῦσαι τῷ πλήθει. § 9), quumque hoc modo εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον τὴν πόλιν ζημιοῦσι (§ 25), περὶ τῶν μεγίστων κύριοι ὄντες (§ 29), adeo ut constaret eos τὸν δῆμον συγκαταλῦσαι (§ 30), τὴν νομοθεσίαν ἀφανίζοντας (§ 35); ex his omnibus coniicio hanc γραφὴν fuisse δήμου καταλύσεως, id est iudicium τιμητὸν, in quo actor postularet ut iudices καταψηφισάμενοι τῶν ἐσχάτων αὐτῷ τιμήσητε (§ 23.).

Aliunde de hoc Nicomachi iudicio nihil nobis innotuit: ipsum Nicomachum ex Aristophane potissimum illustrare studuit Bergkius l. c. Tisamenum, eius collegam, difficile est indicare in Aristoph. Acharn. 603. Sed fieri potest ut eun-

dem hominem offendamus in Inscriptione apud Boeckh. C. I. n°. 136 (vid. p. 182. b.) ubi in Quaestoribus Minervae memoratur *ταμίας* Τισαμενὸς Παιανιεύς, Ol. XCI. 3. Tum quae ibidem supersunt ex Ol. XCII. 3. ...... *μαχος* Φλυεὺς, supplenda esse quis haud inepte coniiciat, *γραμματεὺς* Νικόμαχος Φ. Alius Nicomachus Ἀχαρνεὺς ponitur in illis Quaestoribus Ol. XCVIII. 4. ibid. (p. 183. a.)

Quale autem fuerit istius legum Solonearum *ἀναγραφῆς* consilium, suspicari licet ex Andocide Myster. § 88 sq. Primum enim privatarum rerum iudicatarum auctoritatem servari voluerunt, publica autem iudicia de iis, quae ante Euclidem facta esse dicerentur, tollere. Sed in omnibus legibus, quas servarent, haec tria postulabant; primum ut essent *ἐν δημοκρατίᾳ* latae; tum ut per *δοκιμασίαν* essent probatae; postremo ut essent *ἀναγεγραμμένοι*. In Dioclis lege, aliquot annis post Euclidem lata, haec brevius sic enunciantur, apud Demosthenem Timocrat. p. 713. 20. *τοὺς νόμους τοὺς πρὸ* Εὐκλείδου *τεθέντας ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ ὅσοι ἐπ'* Εὐκλείδου *ἐτέθησαν καὶ εἰσὶν ἀναγεγραμμένοι, κυρίους εἶναι. τοὺς δὲ μετ'* Εὐκλείδην *τεθέντας καὶ τὸ λοιπὸν τιθεμένους κυρίους εἶναι ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἕκαστος ἐτέθη κτἑ.* Nam, quod in hac legis formula

δοκιμασίας nulla fit mentio (quippe quae non diversa esset ab ipsa νομοθεσίᾳ, sed formam eius tantum attingeret), morari non debebat Meierum Bon. Damn. p. 71. not. 233, quum praesertim aliud huius legis esset consilium, nempe ut definiretur a quo inde tempore quaeque lex rata esset, scilicet, ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἐτέθη, idque singulis legibus adscribendum esse ab eo qui tum esset γραμματεύων, praeterquam εἴ τῳ προσγέγραπται χρόνος ὅντινα δεῖ ἄρχειν. Huius postremae clausulae diligens consideratio retinere debuerat Meierum ab ea interpretatione, quam adhibuit his verbis in psephismate Diophanti, (apud Andocid. Myster. § 96.) ἄρχει χρόνος τοῦδε τοῦ ψηφίσματος ἡ βουλὴ — ὅτε Κλεογένης πρῶτος ἐγραμμάτευεν. Apparet enim ex Demosthenis disputatione, quae in Timocratea § 43 Dioclis legi subiicitur, hanc formulam: ἄρχει χρόνος τοῦ ψηφίσματος, aut τοῦ νόμου, idem valere ac si dixisset, ὁ νόμος κύριός ἐστι ἀπὸ τοῦδε τοῦ χρόνου.

Sic igitur diligenter prospexerunt Athenienses, inde ab Euclide, legum auctoritati, easdemque, ut aliunde constat, ex recenti literarum Atticarum accessione publice describendas curaverunt, earumque studium ac diligentiam faciliorem cunctis reddiderunt; quod postremum quum nimis

diu per Nicomachi moras et libidinem retardaretur, recte hic ab accusatore dici poterat ἀφανίζειν τὴν νομοθεσίαν.

Sed, quemadmodum numquam in animum induxerunt Athenienses evertere ea, quae fulcra posuisset Solon populari imperio, semperque studuerunt, oppressa tum tyrannide, tum oligarchia, ut revocarent confirmarentque disciplinam civitatis Soloneam, eius nempe quem τὸν τὴν δημοκρατίαν καταστήσαντα solent appellare (Aeschin. Ctesiph. § 38. Aristoteles Polit. II. 12.), non tamen eo minus eas leges, quae vel singularum potestatum descriptionem et officia spectarent, vel quae privati iuris definiendi causa latae essent, tum mutare, tum novis cautionibus, quas tempora requirerent, earum numerum augere dubitaverunt. Atque hanc legum ferendarum libertatem non solum, sed statam etiam opportunitatem ipse Solon consecraverat, ut mox videbimus. Diu autem fuisse videtur antequam Athenienses hac facultate uterentur. Primum, statim sub Pisistrato et Pisistratidis obtorpuisse necesse est illos libertatis animos, quos Solon excitare voluerat, omniaque unius nutu et consilio gerebantur, ita ut in istius imperii et splendore et fortuna, et fortasse aequitate quoque, libenter otio et obsequio indulgerent. Tanto facilius fuit, eiectis ty-

rannis, paucorum opibus et ambitioni in factiones distractam tenere multitudinem suarum ipsam virium nondum consciam, ita ut qui vicisset principatum in civitate obtineret, silentibus, nec deliberantibus, reliquis. Apparuit hoc in contentione Isagorae et Clisthenis, quorum hic non alia spe nisi ut illum superaret multitudinem sibi conciliavit, ipse nobilitatis et alumnus et patronus: qua de re veterum testimonia excitavit Wachsmuth. Hellen. Alterth. I. 1. p. 269. Sed tantum illis temporibus abfuit ut Solonis leges, quibus populare imperium constitutum erat, vigerent et a multitudine usurparentur, ut a Clisthene fuerint in vitam revocandae, aut potius ipse populus novis institutis docendus, qua ratione quibusque fundamentis niteretur ea, quae penes ipsum esset, summa omnium rerum potestas. Recte igitur Aristoteles Polit. VI. 4. de Clisthene dicit, eum *αὐξῆσαι τὴν δημοκρατίαν*, quum Isagoras nihil aliud spectavisset, nisi ut Soloneae democratiae aciem obtunderet, Spartanorum opera sublato Senatu, et paucorum imperio constituto: Herodot. V. 72. Accessit postea, Aristide auctore, hoc, ut honoribus nullus civium ordo excluderetur, (*κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν*. Plutarch. Aristid. c. 22). Secuta sunt ea tempora, propter quae sane concedenda erant

nonnulla multitudini, cuius opera tantum in bellis contra Persas valuerat, sed per eadem tempora principum virorum unus et alter adeo opibus et potentia, ex insigni virtute et prudentia in re publica gerenda, creverat, nusquam ut libere universus populus dominaretur, contra perpetuo ex principe factionis victricis penderet, sed ita ut leges servarentur; id quod in tyrannis praedicat Aristoteles Polit. V. 12. init., eo diutius nonnullos imperium retinuisse, quod *τοῖς ἀρχομένοις ἐχρῶντο μετρίως καὶ πολλὰ τοῖς νόμοις ἐδούλευον.* Neque igitur de uno Pericle, sed de iis quoque qui ante eum fuerant, valebat nobile illud Thucydidis II. 65. dictum, *ἐγίγνετο λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.*

Quo modo, exstincto Pericle, haec mutata fuerint, et demagogorum libidines populique *ἀκολασίαν* persequi, nunc non est nostri propositi. Sed facile intelligitur saluberrimum et prudentissimum Solonis institutum, ex quo legum recognoscendarum modus praescribebatur, in tam continua et temporum perturbatione et animorum audacia constanter servari non potuisse. Erat haec celebrata illa *ἐπιχειροτονία τῶν νόμων*, quam recitavit Demosthenes Timocrat. p. 706, quam operae pretium est describere, quo singula

diligentius attendamus. Quod autem apud Demosthenem plurali numero, *οἱ νόμοι*, appellantur, sic interpretandum, ut una lex plura contineret praecepta.

Ἐπὶ δὲ τῆς πρώτης πρυτανείας τῇ ἑνδεκάτῃ, ἐν τῷ δήμῳ, ἐπειδὰν εὔξηται ὁ κήρυξ, ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν τῶν νόμων, πρῶτον μὲν τῶν βουλευτικῶν, δεύτερον δὲ τῶν κοινῶν, εἶτα οἳ κεῖνται τοῖς ἐννέα ἄρχουσιν, εἶτα τῶν ἄλλων ἀρχῶν. ἡ δὲ ἐπιχειροτονία ἔστω ἡ προτέρα, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ νόμοι οἱ βουλευτικοὶ, ἡ δὲ ὑστέρα, ὅτῳ μὴ δοκοῦσιν· εἶτα τῶν κοινῶν κατὰ ταὐτά. τὴν δ' ἐπιχειροτονίαν εἶναι τῶν νόμων κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους. ἐὰν δέ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι, τοὺς πρυτάνεις, ἐφ' ὧν ἂν ἡ ἐπιχειροτονία γένηται, ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν· τοὺς δὲ προέδρους, οἳ ἂν τύχωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπάναγκες πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν νομοθετῶν, καθ' ὅ τι καθεδοῦνται, καὶ περὶ τοῦ ἀργυρίου, ὁπόθεν τοῖς νομοθέταις ἔσται· τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἐκ τῶν ὀμωμοκότων τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον. ἐὰν δ' οἱ πρυτάνεις μὴ ποιῶσι κατὰ τὰ γεγραμμένα τὴν ἐκκλησίαν, ἢ οἱ πρόεδροι μὴ χρηματίσωσι [κατὰ τὰ γεγραμμένα,] ὀφείλειν τῶν μὲν πρυτάνεων ἕκαστον

χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, τῶν δὲ προέδρων ἕκαστος ὀφειλέτω τετταράκοντα δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ἔνδειξις αὐτῶν ἔστω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, καθάπερ ἐάν τις ἄρχῃ ὀφείλων τῷ δημοσίῳ· οἱ δὲ θεσμοθέται τοὺς ἐνδειχθέντας εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον κατὰ τὸν νόμον ἢ μὴ ἀνιόντων εἰς Ἄρειον πάγον, ὡς καταλύοντες τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν νόμων. πρὸ δὲ τῆς ἐκκλησίας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων ἐκτιθέτω πρόσθε τῶν ἐπωνύμων γράψας τοὺς νόμους οὓς ἂν τιθῇ, ὅπως ἂν πρὸς τὸ πλῆθος τῶν τεθέντων νόμων ψηφίσηται ὁ δῆμος περὶ τοῦ χρόνου τοῖς νομοθέταις. ὁ δὲ τιθεὶς τὸν καινὸν νόμον, ἀναγράψας εἰς λεύκωμα ἐκτιθέτω πρόσθε τῶν ἐπωνύμων ὁσημέραι, ἕως ἂν ἐκκλησία γένηται. αἱρεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς συναπολογησομένους τὸν δῆμον τοῖς νόμοις, οἳ ἂν ἐν τοῖς νομοθέταις λύωνται, πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, τῇ ἐνδεκάτῃ τοῦ Ἑκατομβαιῶνος μηνός.

Huius legis praecipuum argumentum a Solone fluxisse, satis perspicue significatur a Demosthene Leptin. p. 484. med.: *ὁ παλαιὸς — νόμος οὕτω κελεύει νομοθετεῖν, γράφεσθαι μὲν ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δ' αὐτὸν ἄλλον, ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον, ὑμᾶς δ' ἀκούσαντας ἑλέσθαι τὸν κρείττω· οὐ γὰρ ᾤετο δεῖν ὁ Σόλων, ὁ τοῦτον τὸν τρόπον*

προστάξας νομοθετεῖν, ut leges sic temere latae, nec δοκιμασθέντες, κύριοι essent. Tum videri potest eandem auctoritatem legis confirmari ab Aeschine, qui Ctesiphont. § 38. in simili certe argumento auctorem laudat τὸν νομοθέτην τὸν τὴν δημοκρατίαν καταστήσαντα. Nihilominus est quod ea de re dubitare liceat, siquidem satis constat Oratores, ambitione aut falsa opinione ductos, eiusmodi leges nonnumquam tribuere Soloni, quae citerioris aetatis essent. Huiusmodi quid videor mihi in hac ἐπιχειροτονίᾳ νόμων deprehendisse.

Omitto nunc in Timocratea non excitari Solonis nomen ab Oratore in his legibus commemorandis, ac tamen in aliis, quae ad κλοπῆς et κακώσεως et ἀστρατείας poenas pertinerent, studiose appellari Solonem, p. 732. Sed singula in ipsa lege attingam. Verbi causa, mentio τῆς πρώτης πρυτανείας, ut mihi quidem videtur, necessario legem revocat ad Clistheneam Senatus et anni Senatorii distributionem in decem Prytanias: et cum eadem distributione demum coniunctas fuisse suspicor ternas illas quavis prytania conciones. Minus dubitandum est de Proedris, qui in hac lege commemorantur diversi a Prytanibus, igitur non-contribules: conf. C. F. Hermann. De Proedris apud Athenienses (Pro-

gramm. a. 1843) p. 18 sq. Atqui hoc institutum Proedrorum non-contribulium ante Euclidem Arch. incognitum est. Vix enim quidquam reperiri posse credo, quod Hermanni disputationem evertat: ne ipsum quidem illud, quod interpretando tamen elevare conatur, ex Demosth. Timocrat. p. 749. init. *ἔστιν ὅς τις ἂν ἢ πρόεδρός ποτ' ἐπεψήφισεν ἢ πρύτανις τούτων τι τῶν ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένων.* Suspicor enim utrumque locum, in quo disceptare legem liceret, intelligendum esse, concionem, in qua Proedri, et Senatum, in quo Prytanes suffragia darent. Neque negligendum hoc est, commemorari *τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον*, in quo, si formula vera est, quae recitatur in eadem Timocratea p. 746 (qua de re nunc non disputo), appellatur *ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι*, qualis a Clisthenis demum temporibus fuit; itaque hoc ipsum iusiurandum falso a Demosthene (ibid.) Soloni tribuitur. Eodem iure, ut puto, Eponymorum appellatio Solonis legislationem excludit, itemque mercedis mentio in Nomothetis.

Vidimus de aetate huius legis: argumentum universe perspicue declarat Orator, tum ante, tum postquam recitetur ipsa: definita sunt, inquit, omnia, quae agenda sint circa leges ferendas: primum omnium tempus descriptum est,

quo oporteat νομοθετεῖν· tum, ne tunc quidem hoc, ut cuique videtur, facere concessum est, sed iubetur primum proponere legem scriptam ad statuas Eponymorum: tum, ut eiusmodi lex feratur, quae valeat in omnes: praeterea, ut nova lege ferenda simul abrogetur contraria. Rursus similem instituit ἀνακεφαλαίωσιν· leges illae, inquit, primum ἐφ' ὑμῖν ἐποίησαν διαχειροτονίαν, utrum nova lex introducenda sit, an videantur sufficere eae quae sint: tum, si placuerit ut nova lex feratur, non statim fieri iubent, sed tertiam designant concionem, et ne in hac quidem ut ferantur, sed tantum ut consulatur quae argumenta Nomothetis sint committenda: interea facit lex potestatem unicuique, qui velit, novae legis commendandae, sed ita, si eam ad Eponymos proponat.

Institutum hoc Nomothetarum non abiudicari Soloni video a Schoemanno Comitt. p. 265 – 268; quamquam concedit in hac formula, quam habet Timocratea, esse quae Solonis aetate recentiora habenda sint. Mihi istud a Solonis et ingenio et consilio alienum fuisse videtur, qui, teste Plutarcho Solon. c. 25. non multitudinis mobilitati leges suas permittere voluerit, sed in diuturnum tempus ratas esse, ideoque et Senatorium iusiurandum, et singulorum magistratuum

instituerit, quo tueri leges illas adstringerentur. Multo magis rei consentaneum est, ut statuamus, quum bis paucorum libidinem in legibus mutandis, aut certe infringendis, tulissent Athenienses, primum a Quadringentis, mox a Trigintaviris, sic demum, quum tamen leges pro temporum rationibus nonnumquam mutandas esse agnoscerent, huic negotio prospicere voluisse, ut rite et ordine et prudenter et ipso populo auctore perficerétur: itaque leges illas Euclide Arch. posteriores esse iudico. Non omnia, quae παλαιά appellantur, ad vetusta tempora revocanda sunt. Cephalum oratorem, quem τὸν παλαιὸν vocat Aeschines Ctesiphont. § 194, ita memorat Dinarchus Contr. Demosth. § 38, ut eius res in τοῖς μικρὸν πρὸ τῆς ἡμετέρας ἡλικίας γεγενημένοις numerentur; et florebat post Euclidem. Hinc iure dicere poterat Demosthenes de illa ἐπιχειροτονίας lege, l. c., οὗτοι πάντες οἱ νόμοι κεῖνται πολὺν ἤδη χρόνον, καὶ πεῖραν αὐτῶν πολλάκις δεδώκασιν· quae verba, nisi vehementer fallor, nec de insigni legum illarum antiquitate cogitare nos iubent, nec tam crebrum earum usum fuisse.

Igitur post Euclidem demum hoc inventum et perlatum esse statuamus oportet, quo firmior esset ea disciplina civitatis, et in publico, et in

privato iure, quam modo per ἀναγραφὴν et δοκιμασίαν revocassent, quo nihil fieret in novis legibus asciscendis ὀλιγαρχικόν, sed contra omnia φιλανθρώπως καὶ δημοτικῶς, ut ait Demosthenes. Sed praeter illa quae recitata sunt, haec quoque lex cum illis coniuncta erat, quam paulo post recitat Orator p. 713. fin. τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα, ἐὰν μὴ ἐν νομοθέταις. τότε δ' ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων λύειν ἕτερον τιθέντι ἀνθ' ὅτου ἂν λύῃ. διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τοῦ κειμένου, εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἢ οὔ, ἔπειτα περὶ τοῦ τιθεμένου. ὁπότερον δ' ἂν χειροτονήσωσιν οἱ νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι. ἐναντίον δὲ νόμον μὴ ἐξεῖναι τιθέναι τῶν νόμων τῶν κειμένων μηδενί· ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων ἕτερον ἀντιτιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἢ ἐναντίον τῶν κειμένων τῳ, τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον ὃς κεῖται ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον. Hoc, inquit Demosthenes, spectavit legislator, φύλακας ὑμᾶς τῶν νόμων καταστῆσαι, quod reliquae omnes φυλακαί facile fraude tolli possent: continet enim hoc Nomothetarum institutum τὸ γνῶναι καὶ δοκιμάσαι τὸ βέλτιστον, quod nemo populo auferre possit.

Breviter nunc singula percurramus. Non quovis anni tempore, sed in prima, ut videtur, anni concione ista legum (νόμων τῶν κειμένων) censura instituebatur, (sicuti non in hac prima prytania, sed in sequentibus similis censura magistratuum instituebatur.) Ea censura instituebatur κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους, id est, non attingebat novas, quas forte quis ferre vellet, sed tantum eas quae ante perlatae essent. Si quae ex his suffragiis improbatae essent, (quum hoc, ut videtur, sine disceptatione fieret), nondum hoc iudicium ratum habebatur, sed, (sicuti alibi de προβολῇ demonstravi, itemque valebat in ἀποχειροτονίᾳ ἀρχῶν,) res integra servabatur disceptationi et iudicio, quod penes Nomothetas erat.

Itaque in tertia demum istius prytaniae concione in suffragia mittebatur populus, non utrum Nomothetae constituendi essent, sed καθ' ὅ τι καθεδοῦνται, i. e. quibus de legibus iudicaturi et pronunciaturi essent, tum de mercede eorum, unde petenda esset. Sed, quum in prima concione non nisi universe pronunciari potuisset, non satisfacere leges (μὴ ἀρκεῖν), singularum legum emendandarum facultas ita τῷ βουλομένῳ relinquebatur, ut, quas leges quisque ferret, eas descriptas ad statuas Eponymorum vulgo

cognoscendas proponeret ante tertiam illam concionem. Fallitur enim Schoemannus, quum tradit (Comitt. p. 254.) novas leges commendare iam in prima concione cuivis concessum fuisse. Inopportunum fuisset hoc, et praeterea otiosum, siquidem omnis in illa concione διαχειροτονία fiebat κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους. In tertia demum istius prytaniae concione quid ageretur, accurate lex praescribit. Si enim appareret novas leges apud Eponymos latas esse, et scribae traditas, hunc oportebat recitare eas in illa tertia concione (nam apud Demosthenem Leptin. p. 485. med. vel legendum, vel certe intelligendum, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· et pene ridiculum est, quod inde Schoemannus effecit p. 256. init. *in omnibus ecclesiis*, et satis ex Timocrat. p. 711. τάχ' ἄν, εἰ τύχοι, τοὺς μὲν ἀντειπόντας ἄν, εἰ [μὴ] προαίσθοιντο, λάθοι, οἱ δ' οὐδὲν προσέχοντες, ἀναγνοῖεν ἄν, efficitur unam istam rationem legum apud Eponymos exponendarum usurpatam fuisse.) Recitatis novis, quae ferrentur, legibus, Proëdros oportebat χρηματίζειν, i. e. disceptandi potestatem facere oratoribus, περὶ τῶν νομοθετῶν, καθ' ὅ τι καθεδοῦνται, ita ut ipsis, opinor, qui tulissent novas leges, eas nunc apud populum profiterentur et commendarent, quo diserte definiri ac describi posset id, de quo in collegio

Nomothetarum, tamquam in tribunali, foret pronunciandum: certamen omne de his legibus alienum fuisse ab hac concione, satis indicat designatio Syndicorum, qui apud Nomothetas demum veteres leges defensuri essent. Necessario autem in hac tertia concione leges ab ipsis auctoribus ferri solitas fuisse, conficiendum inde, quod, nisi lator ipse in concione se professus esset, nulla potuisset γραφὴ παρανόμων institui. Nam, quamquam apud Demosthenem Timocrat. p. 711. fin. τὸν νόμον γράψασθαι dicitur, erat tamen hoc certamen, ut vel ex initio illius Orationis apparet, cum ipso latore legis. Haec igitur professio fiebat ita, ut lator legis eam scribae traderet, ut supra vidimus, qui eam recitaret.

Atque hoc loco notanda est mira Schoemanni doctrina: qui, l. c. p. 255. init. dicit, ita unicuique licuisse novam legem in illa tertia concione ferre, *ut eam antea Senatui cognoscendam et examinandam proponeret, qui eam aut permitteret sua auctoritate ad populum ferri, aut vetaret;* additque nescio quid de illo instituto, ex quo nihil ἀπροβούλευτον ad populum ferretur. Nihil minus rebus, in quibus versamur, consentaneum est. Prorsus autem has diversas esse ab iis, quas ipse Schoemannus exponit l. c. p. 96. G. sqq., non ingenti acumine indigebat ut de-

prehenderetur. Iudicium de legibus liberum unicuique (τῷ βουλομένῳ), liberamque facultatem novae legis ferendae relinquebant. At quae, quaeso, ista libertas fuisset, quae corrigi et impediri a Senatu potuisset? Tum huc pertinere Schoemannus dicit Pollucem VIII. 101. Non poterat ducem magis coecum sequi. Primum ne recte Graece quidem loquitur Pollux, cuius haec verba sunt: τοὺς γὰρ νέους νόμους ἐδοκίμαζεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ δικαστήρια. Dicendum erat, τοὺς καινοὺς νόμους. Tum, quae fuisset illa triplex in una re δοκιμασία? Ut rescindere potuerit ὁ δῆμος id, quod Senatus probasset? Sed populus in concione non pronunciabat de novis legibus; Nomothetas tantum constituebat qui pronunciaturi essent. Si quis ita defendat Pollucem, τὸν δῆμον esse ipsos Nomothetas, qui populi nomine δοκιμάζουσι· quamquam non accipio defensionem, manet tamen Senatus, cuius, quantum constat, et ex ipsa rei indole consequitur, nullae partes fuerunt in hoc negotio. Hinc Demosthenes Leptin. p. 484. med.: »non existimavit oportere Solon τοὺς μὲν θεσμοθέτας — δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν, ἔν τε τῇ βουλῇ καὶ παρ' ὑμῖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, τοὺς δὲ νόμους αὐτοὺς — μὴ δοκιμασθέντας κυρίους εἶναι· satis plane significans, in legibus unam tantum

valuisse δοκιμασίαν. Verbo, nusquam apud Oratores Senatus in ea re potestas aut auctoritas memoratur, neque ulla potuit esse. Contra in longe diverso negotio tria iunguntur, in Timocratea p. 703. init., ubi Timocrates dicitur sprevisse τὰ γνωσθέντα ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τοῦ δικαστηρίου. De postrema δοκιμασίᾳ, quae tribunali conceditur apud Pollucem, mox videbimus.

Igitur populi in concione nullae erant aliae partes, nisi ut iuberet Nomothetas constitui, quibusque de legibus eorum esset iudicium definiret. Sorte creari solitos fuisse, ἐκ τῶν ὀμωμοκότων, recte puto Schoemannum affirmare p. 257: sed errat, ubi in not. 19 suspicatur, »sortiendi munus ad Prytanes pertinuisse, quod in Epicratis psephismate (Timocrat. p. 708) hi iubeantur καθίσαι νομοθέτας." Apparet enim Prytanum officium et munus constitisse intra id, quod dicebatur ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέτας, ut est apud Aeschin. Ctesiphont. § 39: neque vere Prytanes, sed concio, ipsa civitas, dicebatur καθίζειν νομοθέτας, aut δικαστήριον, quod nihil aliud est, nisi iubere ut sit collegium Nomothetarum. Sortitioni autem praeesse, i. e. ἀποκληροῦν, nihil video, cur minus, quam in reliquis tribunalibus constituendis, Thesmothetis

mandatum fuisse credamus, qui praesertim ipsi dicantur ἐπὶ τοὺς νόμους κληρούμενοι, apud Demosth. Leptin. l. c.

De numero Nomothetarum nihil sane definitum traditur, nisi quod in illo Epicratis psephismate mille et unus definiantur. Sed quod istic adiicitur, συννομοθετεῖν δὲ καὶ τὴν βουλήν, ancipitem reddit interpretationem, propterea quod dubium est, utrum quingenti Senatores numero illo unius et mille contineantur, nec ne. Propterea quod Timocrati obiicitur, eum νομοθέτας constitui voluisse d. 12mo Hecatombaeonis, ὄντων Κρονίων καὶ διὰ ταῦτ' ἀφειμένης τῆς βουλῆς, haud temere quis suspicetur de more hoc fuisse, ut Senatui locus esset in collegio Nomothetarum. Sed nihil definio.

Quemadmodum igitur novae legis ferendae potestas unicuique concessa erat, ita rei tam gravis iudicium primum salutari mora et considerandi intercapedine maturescere voluerunt, tum postremum non nisi iis permittere, qui trigesimum aetatis annum attigissent, itaque iusiurandum heliasticum praestitissent. Accedebat, quod tantum aberat ut praecipitem civitatem in novas res agi vellent, ut, definito Nomothetarum collegio, populus in concione suffragiis crearet quinque-viros, συναπολογησομένους τοῖς νόμοις, οἳ ἂν

ἐν τοῖς νομοθέταις λύωνται, eosque ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων designaret: nec dubium est quin hi sint σύνδικοι illi, quos τῷ νόμῳ ᾑρῆσθαι dicit Demosthenes Leptin. p. 501. De mercede, quae tum his Syndicis, tum ipsis Nomothetis tribuenda esset, nihil certi constat; sed Nomothetis credibile est triobolum destinatum fuisse. Sed miror Boeckhium Oecon. Civ. I. p. 257 tradere, legem Senatui imperasse, ut hanc mercedem suppeditaret. Nihil minus: populus, ut est apud Demosthenem, in illa tertia concione, decernebat περὶ τοῦ ἀργυρίου, ὁπόθεν τοῖς νομοθέταις ἔσται, i. e. per quos ταμίας eroganda pecunia esset: Senatus nullam habebat nec potestatem pecuniae publicae, nec custodiam; ipsum adeo διαχειρίσαι τὰ τῆς πόλεως χρήματα, certorum erat magistratuum. Syndicis credibile est drachmae mercedem fuisse destinatam. Qua mente autem ea lex accepta fuerit, quam memorat Demosthen. Leptin. p. 503, (μὴ ἐξεῖναι ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηθέντα πλεῖον ἢ ἅπαξ συνδικῆσαι,) non videtur explicandum sic, ut Orator ipse facit, ἵνα μὴ τὸ πρᾶγμα ὥσπερ ἐργασία τισὶν ᾖ καὶ συκοφαντία· sed ex necessaria illa democratiae invidia, quae minus curabat per quem negotia gererentur, modo ne cuiquam, e continuata potestate, auctoritas aut dignitas aut potentia oriretur.

Quum ad Nomothetas res pervenisset, quomodo actum fuerit, perspicue docet lex, quam recitat Orator Timocrat. p. 710. Nam, quam quisque novam legem ferret, quum eam, suo nomine munitam, in tertia illa concione per scribam recitavisset (ut apparet ex Timocratis exemplo, *δωδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, Τιμοκράτης εἶπε*), de hac lege (*κατὰ τοῦτον τὸν νόμον*) iudicium instituebatur, decernente populo: cui iudicio praeerant Proedri, qui Nomothetas in suffragia mittebant primum de vetere lege, tum de nova, qua illa tolleretur, ita ut, utram suffragiis probassent, *οὗτος κύριος* esset. Sed haec, tamquam in tribunali, non sine disceptatione peracta fuisse apparet, in qua Syndici veterem legem defenderent, alii novam propugnarent. Non temere duplex suffragium postulabatur. Fieri poterat enim ut, quamvis vetere lege abrogata, vel ipsa, quae nova ferretur lex, minus placeret, vel ut plures ferrentur, e quibus optio esset facienda. Postremo, alterutram *ἐχειροτόνουν οἱ νομοθέται·* et lex rata erat *ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἐτέθη*, idque ei inscribere oportebat *τὸν τῆς βουλῆς γραμματέα·* conf. lex in Timocratea p. 713. fin. (*).

(*) Nec dubito fere, quin quae psephismatis adeo praemitti soleant, ad tempus definiendum, per eumdem Scribam adscripta sint.

Quare huic iudicio et disceptationi tamquam tribunalis, apud Nomothetas nullus praeesset magistratus, hinc facile intelligitur, quod nulla γραφὴ ad quemquam delata fuerat, cuius nomine fungeretur tamquam ἡγεμονίᾳ δικαστηρίου. Proedri, qui praeerant, iidem sane fuerunt, qui in tertia illa concione erant, non-contribules: nulli enim alii post Euclidem memorantur. Tamen removendum est id, quod affertur ex Timocratea p. 723, ubi in lege, quam Timocrates in Nomothetarum collegio tulit, haec praescripta exstant: ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης πρυτανείας δωδεκάτῃ τῶν προέδρων πρῶτος ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυρρινούσιος. et Myrrhinusios Pandionidis tribus esse dicit Schoemannus l. c. p. 258. not. 25. Igitur, quum praesertim vix aliud exemplum commemorati in principio legis aut psephismatis Proedri excitari possit, haud temere nobis videtur suspicari Hermannus, in Epicrisi de Proedris p. 20 (Goetting. a. 1843), interpolatam istic esse eam mentionem, quae in eiusdem legis formula, alio loco, non deprehendatur.

Ratam esse legem eam vidimus, quam Nomothetae manuum suffragiis probassent. Sed, nihilne reliquum erat, quo quis perlatam legem aggrederetur iterumque in ius vocaret? Erat sane: et hoc erat illud, quod extremum adie-

ctum est legi descriptae in Timocratea p. 710: *ἐναντίον δὲ νόμον μὴ ἐξεῖναι τιθέναι τῶν νόμων τῶν κειμένων μηδενί. ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων ἕτερον ἀντιτιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἢ ἐναντίον τῶν κειμένων τῳ, τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον ὃς κεῖται ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.*

Cogitemus necesse est has intelligi *γραφὰς παρανόμων*, quas instituendas esse in legis auctorem, cuius nomen in principio recitatum et adscriptum sit (*ὁ δεῖνα εἶπε*).

Numeratur hoc institutum inter *φυλακὰς τῶν νόμων*, in Timocratea p. 711. med., sed eiusmodi esse dicitur ea custodia, ut facile intereat civitati, si quis actorem privata conventione tollat (*ἂν ἀπαλλάξῃ τις τὸν ἐπιστάντα*). Sed conceditur tamen sic quaedam correctio *νομοθεσίας*, re ad tribunal heliasticum revocata, quod penes Athenienses erat *ἁπάντων κυριώτατον*. Qui tamen usus, et tamquam disciplina fuerit istius actionis, frustra quaeras in virorum doctorum de hoc argumento disputationibus. Meierus in Att. Proc. III. p. 282 sqq. reiicit nos ad Schoemannum Comitt. p. 159 sqq. et p. 272 sqq., et merito huius ubertatem laudat; in qua tamen hoc praetermissum esse dolemus, ut diligenter quaereretur de *ὑπωμοσίᾳ*, utrum ea in Nomo-

thetarum quoque collegio usurpata fuerit. Nihil hic explicat Hudtwalckerus, cuius ceteroquin prudentia laudanda est, de Diaetet. p. 94—97. Sed, si ὑπομόσασθαι nihil aliud est, nisi, iuratum denunciare actionem instituendam in eum, qui legem ferret, non intelligo quo modo hoc in Nomothetarum tamquam tribunali fieri potuerit, quum praesertim, Nomothetis sortitione designatis, sic excidere sors potuerit, ut futurus ille παρανόμων γραφόμενος non esset in eorum numero. Nihil igitur restat, nisi ut dicamus, si in hac causa legis novae impugnandae ὑπωμοσία usurpata fuerit, necessario fieri solitam fuisse in tertia illa concione, in qua nova lex, cum latoris nomine, recitaretur, ut de ea Nomothetae constituerentur, qui legem vel iuberent, vel antiquarent. Contra, in psephismate ad populum lato, cuius iudicium penes ipsam erat concionem, simul ὑπωμοσίαν accipi potuisse aequum est.

Verum tamen, si, ut faciendum esse censeo, negligenda est tum Plutarchi, tum Pollucis auctoritas (conf. Schoemann. l. c.), praesertim in aequalium scriptorum silentio, non puto, in nova lege lata, ὑπωμοσίαν ullam fuisse usurpatam, liberumque tantum τῷ βουλομένῳ fuisse latorem in ius vocare illa publica actione. Quare tamen in psephismate lato usurparetur, non difficile est

ad intelligendum. Psephisma enim repente ferebatur, ita ut, qui contra sentirent, nullam nec deliberandi opportunitatem haberent, neque aliam oppugnandi rationem inire possent: nova lex contra in illo intervallo, quo tertia concio a prima distabat, unicuique spectanda et consideranda proposita fuerat, ita ut, qui dissentiret, tum dissuadere posset, tum, si vellet, contrariam legem opponere: atque hoc postremum intelligendum esse puto *ἀντειπεῖν*, in Timocrat. p. 711. fin. Neque isto loco, si ulla *ὑπωμοσία* cuiquam concessa fuisset, hanc in primis validam *φυλακὴν τῶν νόμων* commemorare neglexisset Orator, qui nunc nihil nisi *τὸ γράφεσθαι* memoret. Nec minus huius facultatis mentionem requiro in illa lege (Timocrat. p. 710. fin.) ita, ut post verba *τοῦτον κύριον εἶναι*, subiiceretur, *πλὴν εἴτις ὑπωμόσατο* (*ὑπόμνυται*). Postremo, intempestive illa novarum legum ferendarum et explorandarum et diiudicandarum disciplına laudaretur ab Oratore, nisi res per Nomothetarum sententiam certum eventum habere potuisset, et unicuique licuisset per *ὑπωμοσίαν*, facto ipso, *ἀφανίζειν* et *ἐξαλείφειν τὴν νομοθεσίαν*. In istis institutis hoc cogitari non potest, Nomothetarum iudicium per quemquam unum impediri potuisse.

Antequam actiones illas consideremus, quae

cum illa γραφῇ παρανόμων coniunctae sunt, operae pretium est attendere ad ea, quae de eodem, ut nonnullis videtur, recognoscendarum legum instituto traduntur apud Aeschinem Ctesiphont. § 38. sq. Fieri non potest, inquit Orator, ut verum sit id, quod adversarii contendunt, sitque lex, quae evertat alius legis vim et praeceptum: neque hoc neglexit providere ὁ νομοθέτης ὁ τὴν δημοκρατίαν καταστήσας· ἀλλὰ διαρρήδην προστέτακται τοῖς θεσμοθέταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους, ἀκριβῶς ἐξετάσαντας καὶ σκεψαμένους, εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος ἑτέρῳ νόμῳ ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις, ἢ εἴ πού εἰσι νόμοι πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως. κἂν τι τοιοῦτον εὑρίσκωσιν, ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι κελεύει πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων, τοὺς δὲ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέτας, τὸν δ' ἐπιστάτην τῶν προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως.

Non attinet Aeschinis calumniam exponere, qui huius mentione instituti demonstrare conetur non adversari alteram alteri legi de duabus illis, de quibus sermo erat. Sed, quum F. A. Wolfio in Prolegom. ad Leptineam visum esset

unum idemque negotium et ab Aeschine, et in Timocratea significari, primum dissensit ab eo Schoemannus Comitt. p. 260, ideo, quod, quum 1° die Hecatombaeonis inire magistratum soliti essent Thesmothetae, non potuerint tam brevi spatio temporis, ante 11um eiusdem mensis diem, quo prima illa concio habenda esset, tantum tamque operosum negotium perficere: postea ita retractavit hanc sententiam, Antiqu. Iur. Publ. Graec. p. 227. not. 7, ut concederet non esse ea diversa instituta, sed Thesmothetas superioris anni illo munere functos videri, quaeque ab his indicata et proposita essent, in prima novi anni ecclesia populo recitata esse.

Primum per se nulla excogitari potest causa, quare Athenienses duo instituta habuissent, quorum alterum cum altero ita conspiraret. Sed Aeschines nihil opus habuit ex legibus illis commemorare, nisi hoc, quomodo prospicere studuissent ne de eadem re plures essent leges ἀναγεγραμμένοι· Demosthenes nihil aliud curabat, nisi ut demonstraret, quibus vinculis novae legis ferendae licentia regeretur. Prioris fortasse minor ratio habebatur a privatis, alterum, novam ferre legem, multorum poterat vel industriam, vel libidinem excitare. Igitur antinomiae cuiuscumque investigandae indicandaeque munus non

video cur ei magistratui mandata non fuerit, qui ipse diceretur ἐπὶ τοὺς νόμους κληροῦσθαι, (Demosth. Leptin. p. 484). i. e. ea potestate eoque officio, ut in causarum, quae ad quosque magistratus deferrentur, cognitione, legum auctoritatem et vim attenderent. Verum, ut in pluribus istius democratiae institutis accidisse suspicor, id factum videtur in hoc Thesmothetarum munere. Initio enim, quum novae leges vel paucae, vel omnino nullae ferebantur (Demosth. ibid.), haud ita magna opera constabat illa contrariarum legum τῶν κειμένων investigatio: neque haec ita singulis Thesmothetàrum collegiis imponebatur, tamquam si ad finem perducere tenerentur, sed eo ipsò, quot quotannis institui eam lex iubebat, intelligitur continuatum illud munus sic fuisse, ut quique suo anno id tantum perficerent, quod animadvertissent, igitur necessario totum illud maximam partem ita iacuisse, ut fere nihil ageretur. Et sic demum intelligimus verum esse posse id, quod Demosthenes in Leptin. l. c. narrat, tantam turbam legum contrariarum exstitisse, ut creavisset populus qui discernerent eas, ἐπὶ πάμπολυν ἤδη χρόνον, καὶ τὸ πρᾶγμα οὐδὲν μᾶλλον δύναται πέρας σχεῖν· atque haec tamen iudicibus explicabat Orator multis annis, antequam Aeschines Ctesiphontem

aggressus, istud Thesmothetarum munus in memoriam revocaret. Ipse locus Aeschinis sic videtur interpretandus esse, ut Thesmothetae istam legum contrariarum expositionem ad Eponymos instituerint post primam anni concionem, tum dicantur Prytanes ποιεῖν ἐκκλησίαν, nempe tertiam illam: sed eorum quae sequuntur, (ἐπιγράψαντας νομοθέτας), quidquid moliantur viri docti, nulla sana interpretatio excogitari potest, et confidenter affirmo corrupta esse, nec quidquam aliud ab Oratore dici potuisse, nisi, in ea concione rem mandari Nomothetis, in quorum tribunali Proedri darent διαχειροτονίαν, τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, quo modo legendum erit, deleto tum τῷ δήμῳ, tum καὶ, quod ei subiicitur.

Sequitur ut actiones persequamur, quae in παρανόμων γραφῇ pronunciatae ad nos pervenerunt, si quidem de Leptinea certe quaesitum esse memini, utrum apud Nomothetas, an in heliastico tribunali habita fuerit. Sed necessario redeundum prius est ad ὑπωμοσίαν, quoniam hanc viri docti praemitti solitam fuisse contendunt ipsi actioni παρανόμων. Supra, nisi fallor, dixi iam nullo modo cogitari posse, ut huiusmodi actionis publicae denunciatio, iureiurando confirmata, usurpata fuerit in collegio Nomothetarum.

Xenophontis auctoritas, ex Hellen. I. 7. 12 et 34, qua una niti videtur Schoemann. Comitt. p. 164. not. 12, neque ipsa per se, ut historici scriptoris, tanta esse potest, et petitur ex narratione iudicii in causa Praetorum apud Arginusas, id est summae perturbationis per quam ista gerebantur, spreta legum iurisque publici disciplina: praeterea, apud Xenophontem de psephismatis et de concione populi agitur, non de lege lata; et tam parum in verborum usu sibi constat, ut altero loco *προσκαλεῖσθαι* appellet, quod altero *ὑπομόσασθαι* est. Gravius putatur esse, quod ex Demosthene excitatur Pro Coron. p. 260, ubi agitur de nova lege trierarchica, propter quam Orator *γραφῇ παρανόμων* in ius adductus fuerit: sed, inquit, ditiores pecuniam mihi tum offerebant, *ὥστε μάλιστα μὲν μὴ θεῖναι τὸν νόμον τοῦτον, εἰ δὲ μὴ, καταβαλόντα ἐᾷν ἐν ὑπωμοσίᾳ.* Quo loco Schoemannus l. c. not. 11. non utitur ut obtineat istiusmodi *ὑπωμοσίαν* praemissam fuisse ipsi *γραφῇ παρανόμων*, sed *γραφὴν* ipsam illo nomine indicari. Igitur idem dicere potuit Demosthenes *καταβ. ἐᾷν ἐν γραφῇ παρανόμων*? Numquam credam: certe multo melius Platnerus, quem excitat Dissenius ad d. Demosth. l., »licuisse rogatori (legis) ante causam dicendam deserere rogationem:" quamquam ne sic quidem

plane apparet, quid sit ἐν ὑπωμοσίᾳ. Nihilominus omnes illae interpretationes eo laborant, quod vera cuiuscumque ὑπωμοσίας indoles et consilium negligitur. Ita fere viri docti explicare solent, interponi eam ab actore, ab eo qui legem in iudicium adducturus esset: vid. exempli causa, Hudtwalcker. Diaetet. p. 94—97. Sed defendi hoc nullo modo potest, quum praesertim non tantum nullum huius rationis exemplum reperiri possit, sed in aliis omnibus causarum generibus ὑπωμοσία a reo praestetur, quo iudicium ex instituta actione differatur, neque sistat se reus. Non dubito quin hoc intelligendum sit apud Demosthenem. Petierant ab eo, ut καταβαλὼν (τὸν νόμον), i. e. tradita sua lege scribae, ne ulterius defenderet in ius vocatus, sed desereret eam (ἐᾷν), tamquam per ὑπωμοσίαν· quod si factum esset, lex ipsa tamquam per contumaciam fuisset damnata. Non obsecutus est Demosthenes, sed γραφεὶς, inquit, τὸν ἀγῶνα τοῦτον εἰς ὑμᾶς εἰσῆλθον. Igitur, γραφέντα οὐκ εἰσελθεῖν, ipsum illud est ἐᾷν ἐν ὑπωμοσίᾳ. In contraria sententia, quam hucusque sequuntur viri docti, absurda esset ista loquendi forma. Si enim ab actore proficisceretur ὑπωμοσία, eaque esset denunciatio futurae actionis, quid tum oportebat Demosthenem ἐᾷν, i. e. non agere, non

persequi? Lege ab ipso lata, quod sequebatur ab eo peragendum hoc erat, si in ius vocatus in iudicio se sisteret, γραφέντα εἰσελθεῖν εἰς δικαστήριον. Hoc igitur detrectare poterat, itaque legis defensionem in iudicio deserere, si istorum pecunia corrumpi se passus esset, et, nescio quo praetextu usus, ὑπόμνυσθαι (*).

Nunc videamus de ipso iudicio παρανόμων· nam quae omnia, probatis iis quae modo disputavi, corrigenda restant in Schoemanni, Meieri aliorumque libris, intelligentium acumini relinquo. Et primum nulla fere oratione indiget hoc, ut demonstretur non apud Nomothetas, sed in tribunali heliastico illas causas disceptari debuisse. Constat enim has actiones ad Thesmothetas delatas fuisse, qui eas solerent εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον. Demosthenes certe in Leptin. p. 487. memorat, quae reus πρὸς τοῖς θεσμοθέταις ἔλεγε. tum eosdem legem illam, quam Demosthenes suaderet, qua corrigeretur Leptinea, παραγράψαι, i. e. in formula controversiae, a iudicibus dirimendae, assumsisse, id quod necessario eorum erat, qui essent εἰσαγωγεῖς τῆς δίκης. In actionis formula, qua Aeschines usus esse dicitur

(*) Neque ista intellexit Broughamius, qui suo sermone sic locum interpretatur: *that I should suffer it to be frustrated by taking the Oath of Postponement.*

adversus Ctesiphontem (apud Demost. Pro Coron. p. 243) exstat sane hoc, ἀπήνεγκε πρὸς τὸν ἄρχοντα παρανόμων γραφήν· eoque documento probare conantur viri docti, re vera vel Archontem intelligendum esse, vel unum de Thesmothetis: vid. Heffterus Iudic. Athen. p. 161. sq. Meier Att. Proc. p. 41: sed primum nihil habet ea actio quod coniunctum sit cum universo illo genere actionum, quas ad Archontis iurisdictionem pertinere novimus, de iure familiae; neque propterea Archon huic Ctesiphonteo iudicio praefuisse existimari potest, quod Dionysiorum maiorum curam teneret, (nam de legibus aliis violatis, tum de fictis Demosthenis laudibus agebatur;) neque omnino si arguendus fuisset Ctesiphon ἀδικεῖν περὶ τὴν ἑορτήν, hoc παρανόμων γραφῇ persequi potuisset Aeschines, quum in ea re προβολὴ ex lege soleret concedi. Nec minus miror Boehneckium, qui γραφὴν illam recitans, (Forsch. a. d. Geb. der Att. Redn. p. 584.) de appellatione, τὸν ἄρχοντα, remittit nos ad Boeckhium C. I. Vol. I. p. 440, ubi, Meierus laudatur, qui demonstraverit Thesmothetarum nomine saepe universos novem Archontes intelligi, non item Thesmothetas singulos Archontis appellatione designari. His omnibus de causis, nisi quis malit τὸν ἄρχοντα universe *magistratum* interpretari,

tria illa vocabula *πρ. τ. ἀ.* ex interpolatione fluxisse haud temere quis suspicetur. Nihil de hac quaestione disputat Meierus Att. Proc. p. 40. et p. 282. (a quo tamen exspectari poterat), nihil Schoemannus Comitt. p. 165. (cuius tamen auctoritate satis munitum se arbitratur), qui satis lepide »adeundus Archon, aut Eponymus, aut Thesmotheta": aliquanto melius Wolfius Prolegom. Leptin. p. 139. not. 143, qui ex Orat. II. contr. Aristogit. p. 803. init. hoc excitat, *ὅταν τις ψηφίσματος ἢ νόμου γραφὴν ἀπενέγκῃ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας*. Sed nec Wolfio, neque cuiquam concedendum est, »Archontibus aliis alia genera *παρανόμων* tributa fuisse": unum et simplex genus est *παρανόμων*, nempe ex iure publico, quoque, ut Aeschines in prooemio Ctesiphonteae demonstrat, ipsa *πολιτεία* continebatur. Itaque reliquae quoque similis generis actiones publicae ad Thesmothetas deferebantur. Memorabile in eo generc hoc est, quod dicitur apud Demosthenem Leptin. p. 487. fin. Lex est, inquit, si quis populum, aut senatum, aut tribunal deceperit, *τὰ ἔσχατα πάσχειν·* nos igitur spondemus lcgem laturos esse: *οἱ θεσμοθέται ταῦτα γραφόντων, ἐπὶ τούτοις τὸ πρᾶγμα γιγνέσθω.* i. e. ne exspectent *γραφὴν ἀπατήσεως τοῦ δήμου* ab alio deferendam contra nos: ipsi causam consti-

tuant (et ad tribunal deferant). Quemadmodum enim παραγράφεσθαι de actore, παραγράφειν autem de magistratu dicebatur, ut modo vidimus, ita γράφεσθαι actoris erat, γράφειν explicandum de magistratu, qui iudicii formulam componebat, quam iudicibus traderet.

Sed γραφὴ παρανόμων, quae ad Thesmothetas deferebatur, non apud Nomothetas, sed in Heliaea disceptabatur. Distinguenda sane est utraque disceptatio. Nam in veteri illo et solemni instituto annuae νομοθεσίας, item singulis concedebatur γράφεσθαι novae legis rogationem. Eo pertinere puto id, quod Demosthenes describit, Leptin. p. 484. med.: ὁ παλαιὸς — νόμος οὕτω κελεύει νομοθετεῖν, γράφεσθαι μὲν ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δ᾽ αὐτὸν ἄλλον, ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον, ὑμᾶς δ᾽ ἀκούσαντας ἑλέσθαι τὸν κρείττω. Sed hoc γράφεσθαι eius erat, qui ipse novam legem suasurus esset, nec nisi legem ipsam, non quemquam auctorem legis spectabat. Idem dicitur de eo, qui novam latam legem apud Nomothetas aggrediebatur: sed ab hoc non postulabatur ut novam ipse aliam substitueret: defendebat τὸν ὑπάρχοντα νόμον, iudicium penes Nomothetas erat. Itaque Demosthenes Timocrat. p. 711. fin. de eadem νομοθεσίᾳ per Nomothetas

loquens, ἀλλὰ γράψασθαι νὴ Δί' ἕκαστον (νόμον) ἔστιν, ὃ κἀγὼ νυνὶ πεποίηκα· eamque dicit esse φυλακὴν τῶν κειμένων νόμων, sed validissimam omnium et aequissimam φυλακὴν esse ὑμᾶς τοὺς πολλοὺς dicit, quorum esset τὸ γνῶναι καὶ δοκιμάσαι τὸ βέλτιστον· ex quo perspicuum est, per istam γραφὴν non latorem legis peti potuisse, siquidem Nomothetarum consilium non nisi hoc decernebat, utra lex rata de duabus quae contendebantur esset, nec poterat vel κολάσαι vel ζημιῶσαι τὸν τιθέντα.

Hinc diversa est γραφὴ παρανόμων de qua nunc agimus, qua non lata lex, sed perlata et rata iam petebatur. Nihilominus talium γραφῶν causa nitebatur legibus illis veteris instituti annuae νομοθεσίας. Itaque Demosthenes Timocrat. p. 705. μικρὰ διεξελθὼν περὶ τῶν κειμένων νόμων καθ' οὓς εἰσιν αἱ τοιαίδε γραφαί. tum explicatis illis legibus, quibus novae legis ferendae ratio regebatur, ἐάν τις τούτων ἓν παραβῇ, inquit, τῷ βουλομένῳ δίδωσι γράφεσθαι, i. e. auctorem legis, ad poenam. Igitur huius generis erat et γραφὴ κατὰ Τιμοκράτους, cuius legem perlatam ante fuisse constat, et ea contra Leptinem, qui in eodem crimine erat: τούτων τοίνυν τοσούτων ὄντων δικαίων τὸ πλῆθος οὑτοσὶ μὲν οὐδ' ὁτιοῦν ἐποίησε Λεπτίνης· οὐδὲ γὰρ ἂν ὑμεῖς ποτ' ἐπεί-

σθητε — θέσθαι τὸν νόμον p. 485. fin. Itaque neutra causa, neque Leptinea, neque Timocratea, apud Nomothetas disceptari potuit, sed actio ad Thesmothetas delata, per hos deducta fuit ad Heliaeam. In hoc autem tribunali nullam optionem fuisse inter duas leges diversas, satis declarat haec Demosthenis dubitatio, in Leptinea p. 487. med.: ἐγὼ δ', ὅτι μὲν τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ τούτου τοῦ νόμου λυθέντος τὸν παρεισενεχθέντα κύριον εἶναι σαφῶς ὁ παλαιὸς κελεύει νόμος, καθ' ὃν οἱ θεσμοθέται τοῦτον ὑμῖν παρέγραψαν, ἐάσω, ἵνα μὴ περὶ τούτου τις ἀντιλέγῃ μοι. qua de re dubitari non poterat, ut supra vidimus, si ageretur apud Nomothetas. Agnovit hoc Hefflerus l. c. p. 396.

Triplici crimine haec actio contineri poterat, quae quidem in Timocratea diserte sic enumerantur p. 734: ἔφην γὰρ αὐτὸν ἐξελέγξειν κατὰ πάντα ἔνοχον ὄντα τῇ γραφῇ, πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς νόμους νομοθετοῦντα (i. e. neglectis temporibus aliisque lege praescriptis), δεύτερον δὲ ὑπεναντία τοῖς οὖσι νόμοις γεγραφότα, τρίτον δὲ τοιαῦτα δι' ὧν βλάπτει τὴν πόλιν. (conf. p. 710, 720 et 759,) quae crimina in hac γραφῇ ab actore γεγραμμένα erant. Minus recte, ut mihi quidem videtur, Hefflerus l. c. p. 160. quartum crimen ponit hoc, si falsum quid commemora-

tum esset. Primum, si verum esset, non nisi psephismata attingeret, a legis iudicio excluderetur. Sed ipsum illud, in quo in primis exsultat Aeschines Ctesiph. p. 439, (ἅπαντες γὰρ ἀπαγορεύουσιν οἱ νόμοι μηδένα ψευδῆ γράμματα ἐγγράφειν ἐν τοῖς δημοσίοις ψηφίσμασι) tam indefinite dictum est, ut magnopere verear ne ῥητορικωτέρως abusus sit Orator iudicum patientia et credulitate et nonnihil calumniae interpretandi indulgeat: ψευδεγγραφὴ certe in longe diversissimo negotio versabatur. Igitur ne Schoemannus quidem caute agere mihi videtur, qui Comitt. p. 167. idem retulerit, quod Hefflerus. Ipsa causa παρανόμων, in iudicio Ctesiphontis, continebatur αὐτοῖς τοῖς νόμοις, οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὑπευθύνων, παρ' οὓς τὸ ψήφισμα τοῦτο τυγχάνει γεγραφὼς Κτησιφῶν, sicut recte dixerat Orator p. 394: quumque ab illis distinguit postea τὸ ὑπόλοιπον μέρος τῆς κατηγορίας, ἐφ' ᾧ μάλιστα σπουδάζω, indicat satis plane ista non oriri ex legibus παρ' οὓς psephisma istud scriptum esset.

Sed tamen elevandum est, quod contra dici possit. Nam quum in Leptinea p. 485. fin. Orator dicit, Leptinem, suam legem ferentem nihil fecisse eorum quae lege requirerentur, ἡμεῖς δὲ πάντα, καὶ παρεισφέρομεν πολλῷ καὶ κρείττω καὶ

δικαιότερον τοῦ τούτου νόμου, non tamen est de νομοθεσίᾳ penes Nomothetas cogitandum, sed actionem ipsam hanc a se legis auctoritate susceptam esse significat, et praeterea (quod tamen ipsum, ut modo dicebamus, non postulabatur in hac actione) aliam legem meliorem a se proferri. Alio loco, p. 488. init., meliorem illam legem Leptini ipsi ferendam commendat, quam honestius esset εἰσφέρειν, ἢ ὃν νῦν ἀφ' ἑαυτοῦ τίθησιν. Sed istud τίθησι non nisi de defensione legis, iam ante perlatae, accipiendum est. Conf. Schoemann. l. c. p. 281. not. 69.

De duabus autem actionibus quae nobis supersunt ex hoc iudiciorum genere, in quo non de psephismate, sed de lege perlata controversia erat, altera inscribitur πρὸς Λεπτίνην, altera κατὰ Τιμοκράτους. Nempe anni praescriptione, ut videtur, tollebatur actio contra ipsum latorem, nec nisi legem aggredi γραφῇ παρανόμων licebat: conf. Demosthenes p. 501: fiebatque sic διαδικασία quaedam cum Leptine, i. e. πρὸς Λ. Contra, in Timocratea temporis nondum praescriptio fuisse videtur, itaque αὐτὸς ὁ θεὶς simul petebatur, eratque hic ἀγὼν τιμητὸς (Timocrat. § 218.), et mortis poena adeo memoratur in τὸν παράνομα γράψαντα (ibid. § 138, 171, 203.) Sed hoc quoque interesse inter utramque actio-

nem suspicor, quod in ea, qua Timocrates petebatur, actori ἐν χιλίαις ὁ κίνδυνος erat (p. 701. init.), in Leptinea autem neque huius conditionis usquam mentio fit, neque credibile est exstitisse, quoniam nemo in ea causa reus erat in quo calumnia usurparetur, cuius unius reprimendae causa ea mulcta constituta erat. Frustra hucusque quaesivi ubi Boeckhius aut Meierus aut Schoemannus aut Heffterus hoc discrimen notaret. Contra, hoc utriusque actionis commune erat, quod per eam actor λῦσαι τὸν ἀγωνιζόμενον νόμον poterat, si causam obtineret. Sed in Leptinea, exspectabatur legis, quae tolleretur, correctio nova lege lata; in Timocratea non item: quod discrimen iterum hinc explicandum est, quod Leptineae causae iudicium quodammodo νομοθεσίας munere fungebatur, in Timocratea facinus ipsum legis perlatae persequebatur actor.

Ex eodem discrimine fluxit hoc, quod in Leptinea causa Syndici commemorantur, qui una cum Leptine legem, quam actor tollere suadet, defendant (p. 501.), in Timocratea nil tale quidquam excitatur. Non attigit hoc aut Wolfius Prolegom. Leptin. p. 136. not. 138, aut Schoemannus Comitt. p. 255. Apparet autem in iudicio Timocrateo Timocratem ipsum fuisse defen-

dendum, qui legis perlatae ὑπεύθυνος esset, quemque igitur suos συνηγόρους adducere oporteret; contra in Leptinea causa, quum nullus esset ὑπεύθυνος qui peteretur, et in lege, quam actor aggrederetur, civitatis causa ageretur, publice constituendos fuisse Syndicos, qui legem defenderent (ᾕρηνται τῷ νόμῳ σύνδικοι. p. 501.); itaque νυνὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου πᾶς ἐστὶν ὁ λόγος, ipsi Leptini οὐδείς ἐστι κίνδυνος (ibid.) Hoc igitur videntur excogitasse Athenienses, legis reprehensio ut suscipi posset praeterlapso etiam illo tempore, per quod latorem ὁ βουλόμενος aggredi potuisset. Sed quaeri potest, quando isti creati fuerint. Nam illorum in causa legis Leptineae creatio confundenda certe non est cum sollemni Syndicorum creatione in annua legum ἐπιχειροτονίᾳ, de qua supra vidimus (quam creationem Schoemannus Comitt. p. 253. inf. perperam Hecatombaeonis d. XI, i. e. in prima concione fieri solitam fuisse refert, nihil suspicans verba illa τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ Ἑκατ. μηνός, Timocrat. p. 707. putide repetita esse ex initio istius legis). Fieri enim non poterat quin certum ac definitum negotium Syndicis semper mandaretur, igitur non nisi cognito eo, quod esset defendendum. Itaque in singulis negotiis, cuiuscumque generis essent, in quibus civitatis causa esset defendenda,

novos Syndicos creatos fuisse haud temere conficias, quod lex erat, secundum quam non licebat quemquam ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηθέντα πλεῖον ἢ ἅπαξ συνδικῆσαι, tum inde, quod isti legis Leptineae Syndici dicuntur a Demosthene πολλάκις εἷς ἕκαστος πρότερόν τισι πράγμασι σύνδικος γεγονέναι (Leptin. p. 503). Atqui non fuisse hos Syndicos creatos qui defenderent legem Leptinis tum, quum primum ferrètur, et in Nomothetarum collegio disceptanda esset, satis perspicuum est; si quidem institutum hoc fuisse novimus, quo veteres leges (οἱ κείμενοι νόμοι) patrono uterentur, non ut novae quae ferrentur. Necesse est igitur ut sumamus, (quamquam nusquam eius rei vestigium deprehenditur,) eum, qui legem tollere vellet, denunciavisse hoc in concione populi, in qua tum Syndicos per suffragia constitui solitos fuisse. Postulat enim analogia, ut, quemadmodum in annua legum recognitione novae leges in publico, ad Eponymos, proponendae erant, de quibus mox in tertia concione Nomothetae constituerentur; Syndicique crearentur veteribus legibus defendendis, eodem modo, ante iudicium de vetere lege abroganda, hoc consilium actoris populo proponi necesse fuerit; et, quandoquidem huius controversiae iudicium Nomothetarum quodammodo

munere et potestate usurum erat (nisi quod nova lex ab eo iuberi non poterat), consentaneum erat, ut a populo, veteri legi defendendae, Syndici crearentur.

Tribunalia autem correctores et reprehensores esse potuisse eorum, quae in Nomothetarum collegio accepta et probata essent, necessario conficiendum et ex his, quas superstites habemus, actionibus, et consequitur ex lege, saepe a nobis supra memorata, apud Demosthenem Timocrat. p. 710, cuius hoc argumentum est, tolli legem non licuisse nisi ἐν νομοθέταις· sed, si quis legem aut minus utilem, aut aliis legibus contrariam pertulisset, τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ κτέ. Per has autem actiones, si causam obtineret actor, ipsa quoque lex tollebatur: unde in Timocratea Orator, p. 703, εἰ γραψάμενοι τὸν νόμον καὶ εἰσαγαγόντες εἰς ὑμᾶς λῦσαι δυναίμεθα.

Tam validis legum vinculis consilium erat novarum legum ferendarum licentiam constringere aut festinationem retardare, prospectumque erat, distributis definitisque temporibus, et maturae considerationi, et prudenti optioni per iuratorum Nomothetarum suffragia, postremo huius ipsius suffragii correctio concedebatur per illas παρανόμων γραφάς. Itaque secundum necessa-

riam democratiae indolem, ut reliquarum rerum omnium, iuris dicundi, rerumque publicarum administrandarum, ita legum quoque vel iubendarum vel tollendarum summa et extrema potestas erat penes populum, i. e. penes ipsam multitudinem. In hac civitatis forma, in qua omnes omnia poterant, una potestas aberat, ea quae legum vim perpetuo tueretur, cuique tantae rei et ius tributum, et facultas concessa esset, quamque nullo cuiusquam obsequio remissuram officium credibile esset. Athenis ne populi quidem potestas universi quidquam in eo genere efficere valebat, nisi si forte aliquis exstitisset (*ὁ βουλόμενος*), qui, actione instituta in *παράνομα γράψαντα*, ita legum auctoritatem et communem rei publicae utilitatem vindicaret. Hoc autem plerumque non nisi privati odii (*ἰδίας ἔχθρας*) persequendi causa suscipiebatur: tum inde Sycophantia exstiterat, quae etiam gloriabatur, nisi ipsa ageret, ius cuiusque interire: conf. Aristoph. Plut. 914 sqq. Sed his ipsis praesidium quaerendum erat in Heliaea, quod consilium *ἁπάντων κυριώτατον* et erat et habebatur. De his lepide, sed vere Demosthenes Mid. p. 585. fin. Qua tandem re, inquit, vestrum *οἱ ἀεὶ δικάζοντες ἰσχυροὶ καὶ κύριοι τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων*? nulla alia re, nisi *τῷ τοὺς νόμους ἰσχύειν. ἡ δὲ τῶν νόμων ἰσχὺς τίς ἐστιν; ἆρ' ἐάν*

τις ὑμῶν ἀδικούμενος ἀνακράγῃ, προσδραμοῦνται καὶ παρέσονται βοηθοῦντες; οὔ. γράμματα γὰρ γεγραμμένα ἐστὶ, καὶ οὐχὶ δύναιντ' ἂν τοῦτο ποιῆσαι. τίς οὖν ἡ δύναμις αὐτῶν ἐστίν; ὑμεῖς, ἐὰν βεβαιῶτε αὐτοὺς καὶ παρέχητε κυρίους ἀεὶ τῷ δεομένῳ. οὐκοῦν οἱ νόμοι τε ὑμῖν εἰσὶν ἰσχυροὶ καὶ ὑμεῖς τοῖς νόμοις. Quam vanum autem hoc praesidium esset, ipsa haec causa Midiana argumento est, quam, ut multis videtur, institutam non persecutus est, ut mihi, ne ad magistratum quidem detulerat Demosthenes.

In hac absentia certae potestatis, quae legum *ἀνάγκην* tueretur, fieri non poterat, quin per oratorum et demagogorum astutias et audaciam legum frena paullatim laxarentur, mox prorsus abiicerentur, id, de quo queritur ipse Demosthenes, notissimo loco, Leptin. p. 484. fin. Hinc inquit, ψηφισμάτων οὐδ' ὁτιοῦν διαφέρουσιν οἱ νόμοι, ἀλλὰ νεώτεροι οἱ νόμοι, καθ' οὓς τὰ ψηφίσματα δεῖ γράφεσθαι, τῶν ψηφισμάτων αὐτῶν ὑμῖν εἰσίν. In quibus verbis hoc tamen, ut mihi videtur, vitiosum est, quod leges dicuntur esse *recentiores* (νεώτεροι) psephismatis, nec temere, ut spero, suspicor corrigendum esse κενώτεροι. In similemque sententiam ab Aeschine Ctesiph. § 3. arguuntur, qui γράφουσι ῥᾳδίως παρανόμους γνώμας, tum τὰς κρίσεις τὰς μὲν ἐκ τῶν νόμων

κατακελύκασι (quo facti erant κενοὶ οἱ νόμοι), τὰς δ' ἐκ τῶν ψηφισμάτων μετ' ὀργῆς κρίνουσιν. ita ut in tanta rerum omnium perturbatione et in tam dissoluta legum religione, ἓν ὑπολείπεται μέρος τῆς πολιτείας, inquit, αἱ τῶν παρανόμων γραφαί.

Nihil hucusque quaesivi de iis παρανόμων γραφαῖς, quibus psephismata peterentur. Quod argumentum vix probari potest plerumque a viris doctis confundi quodam modo cum altero illo de legum latarum iudicio. Attigi iam supra (p. 44 sqq.) ὑπωμοσίαν, satisque, nisi fallor, demonstravi neque in lege ferenda, neque in psephismate, actoris fuisse, sed eius qui γραφῇ παρανόμων in ius adduceretur. Sed quaeri potest, quo tempore παρανόμων γραφή in psephismatis auctorem institui solita fuerit, ante, an post comitia, in quibus suffragia ferenda essent? Suspicor et potuisse, et debuisse auctorem psephismatis in ius vocari ante comitia in quibus populus de ipsa rogatione in suffragia mittendus esset. Sive enim προβούλευμα factum esset, sive, ut nonnumquam per abusum exstitit, ἀπροβούλευτον ferretur (sicut in psephismate Androtionis), prorsus incredibile est psephismatis ipsius formulam non ante a Prytanibus in programmate πᾶσι σκοπεῖν fuisse propositam. Omitto casus repen-

tinos, in quibus quae comitia convocabantur, huiusmodi promulgationem exspectare nullo modo poterant: sed fieri non potest ut legum novarum cognoscendarum et considerandarum tam largam opportunitatem firmaverit legislator, eorum, quae in comitiis decernenda essent, nullam antea promulgationem postulaverit. In multis tamen hunc morem et hoc saluberrimum institutum vel neglectum, vel violatum fuisse, exemplum ostendit Androtionis (conf. Demosthenes p. 594. fin.—596); itaque haec actio institui non potuit, nisi perlato psephismate. Sed tum in Aristocratea causa, tum in Ctesiphontea, quae solae praeter Androtioneam nobis supersunt actiones, in causa παρανόμων contra psephismatis auctorem, frustra quaeras (sicut recte attendit Schoemannus Comitt. p. 164. not. 13) ex quo conficiendum sit, post perlatas rogationes iudicium denunciatum fuisse.

II.

Emendatur Cicero in Tusculanis Disputationibus.

Tullianis voluminibus emendandis praeclarum, ut auguror, praesidium doctis orietur ex ea opera, quam susceperunt Baiterus et Halmius, viri eruditissimi; qui in altera Orelliana editione absolvenda, sicut audio, hoc institutum tenent, ut undique libros MSS. conquirant, eos in primis, quorum hucusque vel nulla, vel non satis diligens ratio habita fuerat. Cuius laboris fructus ubi editus fuerit, permultis in locis aliquanto certius discerni poterit, quid in Archetypo, ut Madvigius appellare solet, scriptum fuisse verisimile sit. Multum abest, ut in talibus copiis insigne momentum esse positum ne-

gem, quo suspiciones nostrae de orationis corruptelis sanandis regantur: nihilominus teneo eam sententiam, quam superiori volumine p. 267 sqq. uberius explicui ac defendi, in controversia quae mihi cum Madvigio erat. Et sane, si licentiae invidioso nomine appellandum est, quidquam contra omnium Codd. auctoritatem mutare, libido dicenda erit, si quis in Codicum dissensu unam, reliquis spretis, lectionem praefert. At postulat hoc saepissime sermonis indoles et norma, tum diligens consideratio perpetuae consuetudinis in quoque scriptore, aut dialectica ratio in singulis sententiis servanda. Quasi non eadem in constanti Codd. scriptura corrigenda sequenda essent. Itaque ipse Madvigius (Opusc. II. p. 195.) laudat Manutii et Lambini simplex et rectum iudicium, quum in Tuscul. II. extr. et Latinitati et sententiae consuluissent, spreta Codd. omnium auctoritate. Sed idem licentius ne fiat praecipio. Quos tu mihi fines describes, quibus a libertate licentia secernatur? Neque tamen nullas cautiones habet illud institutum, sed et multas et graves. Quodcumque enim displiceat non suscipione tangendum, sed crimine notandum est, in verbis si quid barbarum aut soloecum, in eorumdem compositione, si quid hiulcum aut praeposterum est, tum si quid vel ob-

scurum, vel contrarium, vel minus constans, vel abhorrens a consilio, item ab ingenio scriptoris perspicue demonstrari potest. Haec omnia qui omittat, et tamen aggrediatur sua commendare prae librorum manuscriptorum auctoritate, hunc licentius grassari contendam, modo scelere eodem ne solvatur is, qui, servata Codd. religione, unam de pluribus lectionibus teneat, spretis illis, de quibus modo dicebam, cautionibus.

Sed redeamus ad Ciceronem, cuius, quod minime in hac causa negligendum est, ea fortuna est, ut ex ingenti numero Codicum nullus reperiatur, quantum quidem indagare potui, qui prorsus immunis manserit a librariorum vel stupore, vel negligentia, nullus certe quales permultos vidimus Graecos Codices, in quibus omnia diligentissime descripta exstarent. Huiusmodi materies quum subiecta esset doctissimorum virorum ingenio, qui et prudenter iudicarent, et eleganter sentirent, hinc factum est, ut innumerabilibus locis veram Ciceronis manum restitutam nunc esse laetemur, superata ea religione quae incondita aut absurda nobis imponeret.

Et quoniam exempla melius etiam quid intelligam declarant, age percurramus nunc quidem I^{um} librum Tusculanarum Disputationum, et ea exponamus, in quibus offenderimus.

4, 7. *Sed, ut Aristoteles, — quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere et prudentiam cum eloquentia iungere, sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac maiore et uberiore arte versari.* Ista, *quum motus esset*, sic dicuntur, tamquam si ad unum quoddam vel factum vel tempus pertineret. Satis tritam corruptelam sustulero, si corrigam *commotus*, ex *quum m.*, deleto *esset.* Sed praeterea non satis est Ciceronem *versari* velle in philosophia: propositum ei nunc erat dicendi studium a causis ad philosophiae disputationem transferre. Itaque, transpositis duabus consonantibus, lego *servare.*

6, 12. *Quem esse negas, eundem esse dicis. Ubi est acumen tuum? Quum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse.* In his, *tum eum*, per διττογραφίαν servatum esse contendo, ita ut delendum sit *tum.* Probabunt hoc qui meminerint, quae ratio sit iungendarum coniunctionum *quum — tum.* Omitto tritissimum illud, quum duo ita coniunguntur, ut posterius *praeterea* fieri dicatur, aut quum generali speciale subiicitur, sive *quum* causale sit cum Coniunct., sive temporale cum Indicat. In omnibus istius generis exemplis, *tum* referri

oportet quodam modo ad causales sententias, in quibus duo, quae diversa a se invicem sint, vel per enumerationem, vel per consequentiam aut consecutionem iungantur. Alio modo *tum* temporale est, sed diversum a *tunc* (quod non nisi alteri, *nunc*, respondet,) significatque *dein*, ab illo inde tempore, Gr. εἶτα. In quo genere est hoc, Verr. V, 10, 27: *quum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur*, i. e. *tum demum*. Eodem modo Tusc. III, 2, 3: *quum vero accessit populus, — tum plane inficimur*. Ibid. IV, 6, 13. *quum ratione animus movetur —, tum illud gaudium dicitur:* in quibus alia est rei ipsius definitio, alia eiusdem appellatio. Fitque idem, ubi *si — tum* ponuntur: sicuti ibid. II, 26, 63: *tibi si placebis, tum tete viceris;* in quibus effectus opponitur causae. Ibid. V, 11, 33. fin., mutata forma orationis in Indicativam, *si ita est, tum hoc totum in una virtute ponendum est:* est conclusio conditionis. Permutatis sedibus dicitur Ibid. IV, 25, 55. *an tibi irasci tum videmur, quum quid in causis acrius — dicimus?* in quibus utraque sententiae pars suum ac diversum habet subiectum. Acad. II, 27, 88: *tum, quum videntur, quo modo videantur, id quaeritur:* aliud est *videri*, aliud *aliquo modo videri*. Sed non attinet exempla cumulare. Hoc

volo: ubi duae sententiae partes, quae iunguntur, eiusmodi sunt, ut et idem sit utriusque subiectum, et alteri alteram substitui posse significetur, neque causa, aut temporis consequentia possit cogitari, excludendum esse *tum*. Hinc rectissime legitur Tusc. I, 7, 14: *quum dicis igitur, miser M. Crassus, aut hoc dicis, miser est M. Crassus, — aut nihil dicis omnino.* Equidem hucusque non offendi, quod eam normam everteret: contra affatim exemplorum est, quibus ea confirmetur. Verr. II, 11, 29: *quum invitabas —, non statuebas?* Planc. 17, 42: *quum enim has tribus edidisti, ignotis te iudicibus uti malle — indicavisti.* Ibid. 40, 95: *dixisti, quum* (ut necessario restituendum pro *dum*) *Plancii in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca.* Cf. Verr. III, 54, 126. 55, 127. Similem διττογραφίαν (*cum eum*) in Verr. I, 5, 14, non bene sustulit Zumptius, quam suo loco corrigam.

8, 17. *Quid? si te rogavero aliquid, nonne respondebis? A. Superbum id quidem est, sed, nisi quid necesse erit, malo, non roges.* In his primum corrigendum *non respondebis?* Hoc mirantis est; alterum postulantis et exspectantis. Praeterea tenendum, *non respondere* h. l. unam continere notionem, sicut Gr. οὐ φάναι. Modo, 7, 13, dixerat, *pugnantia te loqui non vides?* V, 5, 12.

nempe negas ad beate vivendum satis posse virtutem? Neque huic rationi, quam explicare nil attinet, adversantur ea, quae disputavit Zumptius ad Verr. II, 46, 112, cuius ratio quoque improbanda est in Verr. III, 52, 121. Praeterea, restituta syllaba quam sequens vocab. absorpsit, legendum, *superbum id quidem esset; sed —*.

9, 19. *Animum autem alii animam, ut fere nostri. Declarat nomen; nam et agere animam et efflare dicimus.* Nihil sani afferunt libri: id enim quod vult Cicero, non declaratur *nomine*, sed locutionibus iis, quas subiicit: multumque diversum est, quod III, 5, 11. dicitur, *verbi vis ipsa declarat.* Legendum censeo, — *ut fere nostri declarant: nam —*: vitiosa, *nomen*, et *nomine*, orta sunt ex prava scriptura sequentis *nam.*

11, 25. *Quo modo igitur aut cur mortem malum tibi videri dicis, quae aut beatos nos efficiet animis manentibus, aut non miseros sensu carentes?* Neque *efficiet*, neque *efficit*, servandum erat, sed corrigendum *efficiat:* argumentatio est, causaque additur, non conclusio.

13, 29. *ipsi illi maiorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur.* Tollenda est interpretatio adverbii *hinc*, qua nihil indigemus, abiiciendaque verba

a nobis. Ponitur adverb., sicut apud Platonem ἐνθένδε et ἐνθάδε, quibus opponitur ἐκεῖ. Itaque Graeca interpretatus, recte, infra 41, 99. *tempus est iam hinc abire:* et de suo, 30, 74. *hinc demigrare.* Non sane inaudita sunt tales interpolationes: nec sine causa, ut uno exemplo defungar, II. contr. Rull. 34, 94. *nos autem, hinc Roma qui veneramus*, alicui suspectum est *Roma*, ut video ab Orellio moneri. Conf. Verr. I, 6, 17.

13, 30. *omnes — esse vim et naturam divinam arbitrantur, nec vero id collocutio hominum aut consensus effecit, non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.* Primum absurdissimum est, quod ex hac verborum compositione oritur, *consensus hominum non effecit consensionem:* nec mira, ut Orellio videbatur, sed iustissima erat suspicio eorum, qui pro *consensus* commendabant *consessus.* Quod autem porro dicitur, eam *opinionem non institutis, non legibus esse confirmatam*, et per se absurdum est, et tum rebus ipsis, tum scriptoris consilio contrarium. Legendum censeo, *sed institutis — et legibus.* Apertum est quid dicat: non effecit illam omnium gentium opinionem collocutio aut consessus, sed confirmavit eam, quae iam ante fuisset.

15, 32. *nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem.* Corrigendum, *offert.*

20, 47. *quum autem nihil erit praeter animum, nulla res obiecta impediet, quominus percipiat quale quidque sit* Non temere, nec licenter corrigo, *quale quidque est*, auctoremque, si opus videatur, praesto tum Zumptium ad Verr. II, 53, 131, tum Madvigium, qui ad Fin. III, 17, 58. luculenter ostendit non pauca menda huius generis tollenda esse, non aliorum exemplum secutus, sed certissimam orationis regulam, quae sane aliquanto plus valet quam Codd. negligenter descriptorum auctoritas. Significat Cicero id, quod Graece diceretur, *τοιοῦτον οἷόν ἐστι*, non *οἷόν τί ἐστι.*

15, 34. *Phidias sui similem speciem inclusit in clipeo Minervae, quum inscribere non liceret.* Quid non licebat? *inscribere speciem?* Ferendum non est. Scilicet, ante negationem excidit *nom.*, legendumque *nomen non liceret.*

19, 43. *qui (animus) si permanet incorruptus suique similis, necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne coelum hoc, in quo nubes imbres ventique coguntur, quod humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae.* Sed non penetrandum *coelum* erat: con-

tra, dixerat modo ante, necesse esse *ferri animum ad coelum:* sed aër perrumpendus erat. Itaque deleam *coelum.* Definitio convenit *aëri.* De utroque conf. Nat. Deor. II, 39, 101.

Ibid. *quam regionem quum superavit animus —, iunctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato ignibus insistit et finem altius se efferendi facit.* Quaero, qui sint *iuncti ignes?* E Codd. recipiendum erat *iunctus*, de ipso animo. Sed porro corrigendum *temperatis.* Non *ardor solis* dicitur *temperatus*, sed *ignis ex anima tenui et ardore solis.*

22, 50. *Quasi vero intelligant, qualis sit (animus) in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus, ut, si iam possent in homine vivo cerni omnia quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.* Qui haec intacta reliquerunt, eos fugisse suspicor scriptoris consilium, nec reputavisse quid Latinitas postularet. *Casurusne videatur — an tanta sit —*, recte diceretur, si praecessisset ea de re dubitari, itaque inter se opponerentur. Nunc autem secundaria sententia, quae suspensa est a coni. *ut*, absolvitur in verbis *videatur animus:* primaria sententia concluditur verbis *qui locus*, eique opponuntur extrema,

an tanta —, quae minime ex coni. *ut* suspensa sunt. Legendum, — *casurus in conspectum videatur animus; an* (i. e. ἤ, siquidem illud intelligere non possunt) *tanta est eius tenuitas* —. Equidem in talibus non requiri a doctis suspicor librorum auctoritatem. Infra, V, 24, 68. optimi libri praebent *iudicandone*, prorsus absonum.

22, 52. *et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat.* Equidem tantum abest ut requiram verba, *quo monet*, ut his servatis corrumpatur etiam sententia. *Dicit* enim Apollo, *nosce te:* sed hoc ipso *monet, nosce animum tuum.* Sed interpolatio debetur ignorationi, *ut se quisque noscat* dici pro Accus. cum Infinitivo, *noscere se:* sicut III, 3, 5. *ut sibi mederi animus non possit.* Conf. Madvig. Gramm. Lat. § 415. Hinc postea obtinebo, III, 31, 76. init. nullam esse lacunam.

24, 59. *Non quaero, quanta memoria Simonides fuisse dicatur —; de communi hominum memoria loquor* —. Nulla erat controversia aut dubitatio, quanta fuisset memoria Simonides; sed hoc dicit, non quaero de insigni et extraordinaria memoria, qualis fuit Simonidis. Igitur ut supra, 20, 47. sic nunc necessario corrigendum *dicitur*.

25, 63. *Quod si in hoc mundo fieri sine deo*

non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari. In conclusionis necessaria affirmatione requiro *potuit.*

27, 57. *Ubi tua aut qualis? potesne dicere? An, si omnia ad intelligendum non habeo* cet Equidem nullus dubito, quin interpolata sint verba, *potesne dicere,* qualia in huiusmodi urgente refutatione omitti solent. Pariter infra, 31, 77. delendum est *rogas.* Qui talibus delectetur, huic molestus esse nolo.

30, 73. *Itaque commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum.* Pro *sed quod* in var. lect. memoratur *scilicet quod:* quo arguitur intempestiva interpolatio: neque locus erat adversativae coniunctioni *sed:* itaque hac deleta veram Ciceronis orationem habebimus. Tum recipienda fuerat Davisii correctio *quasi,* pro *qua,* sine qua sententiae constructio exitum non habet.

35, 85. *Quod si ante accidisset, tamen eventum omnino amisisset.* Bentleio obtemperandum fuerat, et *occidisset,* et *talem* corrigenti. Omnem *eventum amittere,* absurde diceretur.

37, 90. *Quamquam hoc quidem nimis saepe, sed eo, quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis* Neque per se probari potest breviloquentia, ex qua intelligendum sit *nimis saepe dico, sed eo*, i. e. propterea *dico* —: neque omnino tale quid intelligere licet, ubi non praecessit eiusdem sententiae verbum: praecedit autem, *quid potest esse in eo odiosum?* Affertur ex var. lect. *nimis sapere sedeo:* unde efficiendum mihi videtur, *quamquam huc quidem nimis saepe redeo.* II, 24, 58: *dicendum est enim saepius.*

38, 91. *Natura vero se sic habet, ut, quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors; ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit.* Postrema continent consectarium ex hypothesi, sed quae in prioribus obliterata est. Legendum *natura vero si se sic habet.* Non suam enunciat sententiam, sed ista assumta quid consequatur ostendit. — Sq. § 92. abiiciam annotationem otiosam, *qui est mons Cariae:* itemque, ex eodem genere, § 104. *in patriam.*

44, 107. *Tenendum est igitur nihil curandum esse post mortem, quum multi inimicos etiam mortuos poeniuntur.* Si haec argumentatio esset, necessario postularetur coni. *poenian-*

tur: nam *quum* temporale esse, frustra persuadere conatur Orellius. Sed priora absolvunt ea, quae modo instituerat: *tenendum est igitur nihil curandum esse post mortem.* Tum pergit ad alia, hoc modo: *Quam multi inimicos etiam mortuos poeniuntur!* Verr. I, 24, 62: *quam multis istum — vim attulisse existimatis?*

Non piget eandem operam persequi in II[do] libro.

2, 5. *Philosophia nascatur Latinis quidem literis ex his temporibus.* Quomodo philosophia *ex temporibus* nasci possit, non facile quisquam dixerit. Recipiendum erat ex var. lect. *et his temporibus.* Neque enim Wolfium probare possum, qui interpretatur, quasi dixisset *hinc*, ab hodierno inde die. Modo ante Bentleii correctionem, ut pro *oratorum laus*, (tamquam si de singulis oratoribus sermo esse posset), legatur *oratoria laus*, i. e. quam in hoc genere Romani assecuti sunt, perquam miror spretam esse: indeque vindicanda est eorum sententia, qui supra I, 3, 6. *oratoriae laudi*, non *laudis*, commendant. Et paullo ante corrigendum, *quae quidem essent expetendae*, pro eo quod libri habent, *erant:* conf. eadem sententia, enunciata I, 1, 1.

3, 8. *ita faciendum esse sentimus.* Ne temere misceantur omnia, certa norma haec servanda mihi videtur, ut, ubi praeceptum ponatur, aut sententia de eo, quod fieri oporteat, requiratur verbum *censere*, non *sentire.* In quo genere memini complura a me menda sublata esse.

4, 11. *Fortes enim non modo fortuna adiuvat, — sed multo magis ratio, quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortitudinis.* Non intelligo, quare *praecepti* vocab., ubi cum *ratione* coniungitur, excusandum sit praeposito *quasi.* Credibilius est, Ciceronem scripsisse *praescriptis:* haec enim cum auctoritate et imperio coniungi solent, rectiusque huiusmodi imperium tribuitur rationi: itaque infra IV, 9, 22. intemperantia dicitur esse aversa *a praescriptione rationis.* Conf. Nat. Deor. I, 3, 7.

7, 17. *Magna mehercule laus et eo ipso, per quem iuravi, Hercule digna.* Abiiciendum est interpolatum *Hercule.*

9, 22. *Possumusne nos contemnere dolorem, quum ipsum Herculem tam intoleranter dolere videamus?* Certa orationis norma postulat, tum ut *possumus*, omisso *ne*, tum ut *videmus* legatur.

11, 27. *Sed videsne, poëtae quid mali afferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros,*

molliunt animos nostros, ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Quod *inducunt fort. vir. lam.*, non est malum illud quod afferunt poëtae. Supplenda haec et distinguenda sic suspicor: — *poëtae quid mali afferant, lamentantes quum inducunt fortissimos viros? Molliunt* —. In extrema hac § non defenditur copula *et* ante *a pueritia*, ea interpunctione qua utitur Orellius. Requiritur certe *a pueritia et legimus et ediscimus.*

13, 30. Primum, *gloriantem dum*, quod Orellius servavit, nihil est nisi indicium variae lectionis, *gloriandum*, pro *gloriantem:* sed hoc unice verum est. Aliquanto post: *tantum tamen excellet illud, — ut omnia praeterea — perexigua et minuta videantur, ne malum quidem ullum nec, si in unum locum collata omnia sint, cum turpitudinis malo comparanda.* Duo quum ponantur, tum nulla alia bona cum honesto, tum nulla mala cum turpitudinis malo esse comparanda, distingui ista oportet, inserta copula ante verba *ne malum quidem* —. Sed totam hanc clausulam, simplici transpositione, sic corrigam: *nec malum ullum, ne si in unum quidem locum collata omnia sint* —. Quoties forma *ne — quidem* apud Ciceronem obliterata sit, luculenter ostendit Madvigius ad libros de Finibus.

14, 32. *Ecquid scis, si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere te reliquam supellectilem salvam, virtutem autem si unam amiseris; etsi amitti non potest virtus; sed si unam confessus fueris te non habere, nullam esse te habiturum?* Duae sententiae ita iunctae sunt, ut, quae loco posterior est, tamen primaria sit, cui altera comparandi tantum et illustrandi gratia praeponitur. Totum hoc genus Madvigius Emendatt. p. 24 sqq. (quam disputationem libenter commendare soleo) plenissime enucleavit. Igitur ipse mihi concessurus est, ut opinor, h. l. corrigendum esse *ecquid nescis* —. Brevissimum exemplum habemus aliquanto post, 14, 34: *quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt?* Non miratur illud, sed hoc.

17, 41. *qui quaerant, quid velint.* Perpetua consuetudo postulat ut legatur, *si quid velint.*

19, 44. *Venit Epicurus, homo minime malus, vel potius vir optimus: tantum monet, quantum intelligit.* Ratione habita superiorum sententia haec requiritur: audiamus Epicurum: quemadmodum aliquanto post dicit *omittamus hunc igitur.* Tum *venit* et *monet* inepte sic iunguntur. Legendum est: *veniat Epicurus — optimus. Is tantum monet, quantum intelligo:* non *intelligit.* Primum hoc, quod subiicit Epi-

curi, intelligere se fatetur: statim de sequentibus dicit *non satis intelligo*. Fin. II, 7, 21. *plane dicit, quod intelligam*. In sequ. § 45. *nusquam* requiro pro *nunquam*.

20, 47. — *ut tute tibi imperes: quamquam hoc nescio quo modo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur*. Prorsus alienus ab hac sententia Coniunctivus est *dicatur*. Leg. *quamquam hoc, nescio quo modo, dicitur quasi duo simus*.— Nullo enim modo hic, post *quamquam* ferendus est Coniunctivus: conf. Madvigius ad Fin. p. 470, qui istic plane superstitiosus est.

21, 48. *hos admonitu oportebit ut bonos milites revocatos dignitatem tueri*. Haec sic enunciantur, tamquam si *hos* subiectum contineret, cuius verbum sit *tueri:* in qua ratione abest accusativus obiecti. Locum intelligere nequeo, nisi legatur *revocatos ad dignitatem* — Aliquanto inferius *leviter* mutandum in *leniter*.

25, 60. *Quia, si, quum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem*. In his *si* interpositum est a Madvigio, ad Fin. p. 789. qui recte perspexit quid ista forma rationis conclusae postularet. Sed eadem non fert Coniunctivos; corrigendumque *possum*,

et *est:* ferret, si per negationem in assumtione, ipsa conclusio negans esset.

26, 62. *Sed tamen hoc evenit, ut in vulgus insipientium opinio valeat honestatis, quum ipsam videre non possint.* Defendi potest aliquo modo *quum*, si interpretamur *quamquam:* nam causale certe non est. Non propterea valet opinio honestatis, quod ipsam non agnoscant. Tamen suspicor profectum esse *quum* ab iis, qui propter Coniunct. *possint* requirerent. Legendum est *quam:* et coniunctiva forma totius enunciationis requirit *possint:* in recta oratione diceretur, *opinio valet honestatis, quam ipsam videre non possunt.*

Postremo notabo unum exemplum negligentiae, cuius culpam difficile est librariis tribuere: 18, 43: *quod ergo et postulatur a fortibus, et laudatur quum fit, id aut extimescere veniens, aut non ferre praesens, nonne turpe est?* Quum enim *quod* referatur ad *toleranter dolorem pati*, idem intelligere non licet in sq. *id*, quo indicatur ipsum malum, ipse dolor.

Pauca iam delibemus de III[tio] Libro: in cuius statim initio hoc offendit, quamvis minutum, quod dicitur, *animi autem medicina nec tam*

desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, postquam cognita sit, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa. In his *tam multi* sic intelligendum erit, ut cogitando opponatur quam multi sint quibus corporis medicina grata sit: quod, quamquam non prorsus recte dicitur, tamen aliquo modo sane defendi poterit. Sed hoc servato, sequentia in eadem comparationis forma intelligenda erunt, pluribus suspectam philosophiam esse, quam medicinam: id quod minime omnium ferendum. Liberabimus hoc vitio orationem, mutato *tam* in *iam: nec iam multis grata:* forma quidem negans, consilio aiens est sententia, *multis adeo minus grata, pluribus etiam suspecta.*

2, 3. *ad quam (popularem gloriam) fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime anquirit, in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem gloriae.* Fieri non potest ut haec sine corruptela legantur. De eodem dicitur, *veram honestatem expetere*, et *consectari imaginem gloriae.* Multo rectius, aliquanto post, de eodem genere hominum dicitur, eos *nescire nec ubi nec qualia essent illa praeclara.* Cor-

rigendum esse suspicor, *veramque illam honestatem esse putans.*

2, 4. *quod insipientibus contingit omnibus.* Interpolata haec sunt, sumta ex Stoicorum disputatione; neque conveniunt huic enumerationi.

3, 5. *hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent.* Inepte *ipsi* dicuntur illi animi morbi, quasi praeter *ipsos* aliud quidquam in iis odiosum esse posset. Voluit autem *hoc ipso*, cuius definitio sequitur, *quod ad animum pertinent.* Simili de causa in seqq. probandum, quod Codd. afferunt, *quum ipse* (non *ipsam*) *medicinam corporis animus invenerit.* In eademque sententia, (*continuo etiam convalescant*), nescio quo modo defendi possit *etiam.*

4, 8. Demonstrandum erat, quo modo Romanis quoque (*maioribus nostris*) omnis animi commotio visa fuisset insania. *Quia nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum,* [*id est insanitatem et aegrotum animum, quam appellarunt insaniam.*] *Omnes autem perturbationes animi morbos philosophi appellant negantque stultum quemquam his morbis vacare; qui autem in morbo sunt, sani non sunt, et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquil-*

litate quadam et constantia censebant cet. In his primus Bentleius rectissime vidit, verba, quae uncinis inclusa sunt, hinc aliena esse. Sed ulterius progredi oportebat, nec dubitandum quin sequentia quoque, usque ad *insaniunt*, insiticia sint, in quibus quo nomine *philosophi* appellarent, alienissimo loco dicitur, et sollemnis Stoicorum syllogismus proponitur: tum subiicitur *sanitatem enim*, quae nullo modo cum illis coniungi possunt, et verbi *censebant* (mox *appellarant*) subiectum non est *philosophi*, sed *maiores nostri*. Sic habebimus non interruptam demonstrationem eius, quod quaerebatur. Stoicorum illud aliquanto post, 5, 10, suo loco commemorat, *omnes insipientes esse non sanos:* et quod tum subiicitur, de *morbi* vocabulo, *ut modo dixi*, pertinet ad § 7.

8, 16. Aliquanto liberius in hac demonstratione vagatur Cicero, digrediturque in sermonis Latini vim explicandam. Igitur haec, *qui sit temperans*, statim abrumpit; instauratque demum demonstrationem, substituto *frugi* verbo, § 18, *qui sit frugi igitur* cet. In ipsa illa *frugalitatis* definitione nollem Tregderus deseruisset eos, qui dudum ante verissime correxerant *omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam — reliquas etiam virtutes frugalitas continet.*

Tum § 17 laborat demonstratio: *sed quia nec — solet: eo tres virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam, frugalitas complexa est:* quae postrema sic enunciantur, tamquam si hoc obtinendum in conclusione esset. Nihil minus. Obtinendum erat hoc, quartam virtutem, quam supra et *temperantiam*, et aliis verbis appellavisset, quamque Graeci *σωφροσύνην* appellarent, recte *frugalitatis* verbo designari. Hinc corrigendum, *eoque tres virt.* —, ut haec etiam in protasi dicantur. Sequitur apodosis et conclusio, quam vulgo sic edunt, *reliquum igitur est, quarta virtus ut sit ipsa frugalitas:* quae Madvigius, corrigere studens, sic mutabat: *reliqua igitur est, quarta virtus ut sit, ipsa frugalitas:* in quo requiro eius acumen. Quae, quaeso, ista argumentatio est? *Frugalitas complectitur fortitudinem, iustitiam, prudentiam. Igitur frugalitas reliqua virtus est, ut virtus quarta sit.* Sed neque *frugalitas*, neque *ipsa frugalitas*, *reliqua* erat; neque propterea (*igitur*) reliqua erat, quia tres illas virtutes complexa erat. Et tamen necessario e prioribus conficiendum erat, ex quadripertita illa virtutum distributione quo Latino verbo *quarta* esset *virtus* appellanda. Hoc obtinebimus, si corrigimus: *relinquitur, quarta virtus ut sit ipsa frugalitas.*

10, 22. *Sed latius aliquanto dicenda sunt et diffusius.* Klotzium probo, qui alteram lectionem, *aliquando*, praeferat; non laudo, quod in tam perspicua re Codicum auctoritatem exspectaret. Sed praeterea corrigendum *fusius. Diffusum* quid dicitur in multas partes, et cum *dissipato* coniungitur. Illud proprium est certi generis orationis.

11, 24. *Nam quum omnis perturbatio sit animi motus rationis expers, — isque motus aut boni aut mali opinione citetur, bifariam quatuor perturbationes aequaliter distributae sunt.* Mutata interpunctione exibit sententia, ut puto, aliquanto minus absurda. Nam, et quid sit *bifariam quatuor aequaliter distribui* nemo dicat, et e duabus opinionibus quomodo quatuor perturbationes efficiat, nulla arithmetica docere poterit. Sed dixit — *citetur bifariam, quatuor —:* i. e. ut in utroque et praesentis et venientis opinio valeat. Explicatius idem dicit IV, 6, 11.

11, 25. — *et quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi.* Postrema (*ut*-) referuntur ad *opinionem*, non ad *malum.* Itaque deleto *mali* habebimus veram sententiam, *opinio talis, ut —. Recentem opinionem* aliquoties appellat, v. c. infra 31, 75. et IV, 7, 14. Igitur aliquanto post, § 26 perperam

duplicata litera *s* est, legendumque, *in opinione mali recenti.*

13, 28. *Epicuro autem placet opinionem mali aegritudinem esse natura.* Frustra quaesivi qui haec explicaret, nec vidi qui scite corrigeret quum vitiosa esse animadvertisset. Nempe non quaeritur quid sit aegritudo, sed doloris *origo* et *causa efficiens:* conf. 10, 23 fin. Nisi violentius esset, reponerem *efficere.*

Ibid. *Ex hoc et illa iure laudantur.* Defendi *et* nullo modo posse videtur: itaque hic deleam, sicuti paullo post § 30, ante *perceptas*, Codd. auctoritate tollenda copula est.

15, 31. *Ergo hoc Terentius — quum tam commode dixerit, nos — non dicemus —?* Bene Dav. Codicibus nonnullis obsecutus, abiecit *quum.* Formam hanc enunciandi attigi supra p. 84. Mox, tollendum *Socrate.*

18, 41. *Sunt haec tua verba nec ne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam (fungar enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis haec.* Haec sic enunciantur, quasi postremum *haec* alio referendum esset, quam quo prius *haec tua verba:* id quod fieri nullo modo potest. Continuandum erat, *sunt haec — necne, in eo quidem* cet. deletis postremis illis, *dicis haec.*

23, 55. *consolatione illa, qua solemus uti, quum levare dolorem moerentium volumus.* Crebro in Codd. permutantur *levare* et *elevare.* Nihilominus certa quaedam norma sequenda, ad quam ista exigamus. Ita, si *elevare* est levius reddere, ut minus esse videatur, tolerabiliusque feratur, hoc quidem loco *elevare* scribendum erit, et mox § 56. sicut supra 16, 34. Sic ad Div. V, 14, 2, ductu Cod. Med. (*quase levare*) legendum *quas elevare:* eodemque modo corrigendum ibid. 16, 1. item VI, 4, 2: tum, quod plane simile est prioris loci ad Div., infra IV, 28, 61. init. Contra, proprie dicitur *levare aliquem aegritudine*, tamquam onere: igitur ipse, quem quis consolatur, *consolatione levatur*, infra 30, 73. ut ad Att. IX, 7, 2: recte quoque Orat. 33, 120: *quem laborem nobis Attici nostri levavit labor;* quoniam in his *labor nobis* dicitur pro *nos laborantes.*

Statim post sequitur: *aut qui tolerabilius feret incommodum, qui cognoverit necesse esse homini tale aliquid accidere?* Si his continetur reprehensio istius consolationis (*nihil oportere inopinatum videri*), *aut* ferri non potest, corrigendumque *at.*

27, 66. *An est ullum tempus* (*quoniam quidem res in nostra potestate est,*) *cui non po-*

nendae curae et aegritudinis causa serviamus. Locus ex satis magno numero eorum, in quibus *causa* interpolatum est, cum interitu sententiae. Exemplum ipsum, quod, ex historia petitum, subiicitur, monere poterat curam et aegritudinem poni temporis causa, ut tempori serviatur. Legendum est, *cui non ponenda cura et aegritudine serviamus.* Aliis quoque locis eadem interpolatio Genitivos perperam intulit, sicut in libris de Oratore ostendi, et e Codd. collatione deprehensa est Verr. II. 53, 133. Sed tollendum idem nunc in promptu est ad Div. III, 8, 3: *deinde me ita vidisse accidere multis, ut eorum causa legationes Romam venirent; sed his legationibus non meminisse me ullum tempus laudandi aut locum dari.* Scilicet, quorum *causa* legationes illae mitterentur, magistratus erant provinciales: sed nunc de ipsis civitatibus, quae decernere solerent, sermo erat, quasque ab illo instituto avertere Cicero studuerat.

28, 69. *optimus et gravissimus quisque confitetur multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam esse discenda.* Tritissima formula est, *etiam atque etiam*, cuius haec propria vis est, quasi quis dicat, *iterum iterumque.* Dubito tamen an, sicut *etiam atque etiam rogare*, isto modo *discere* dicatur, cui melius convenit sim-

plex *etiam*. Gr. ἔτι. Eadem aberratio tollenda ad Div. VI, 22, 1, ubi frustra Orellius vulgatam interpretari studet.

29, 71. *Itaque Oileus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, is quum audisset de suo, fractus est.* Neque *quum audisset* sine obiecto dici poterat nûnc, neque nisi in inchoanda sententia ferendum erat *is*. Corrigendum *idem*, i. e. mortuum esse suum Aiacem.

30, 73. *qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores quam fere plerique, qui avari avaros — reprehendunt.* Ferri haec non posse, unusquisque fatebitur. Itaque vel *iustiores*, vel alio modo corrigendum.

31, 76. *Sunt, qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse.* Sequor eorum sententiam, qui iudicant nihil excidisse, et esse hanc praegnantem loquendi formam, pro *ita consolari ut doceant malum* cet. Haud dissimile exemplum infra est 33, 79 init. IV, 29, 62. fin. 38, 83. Ita V, 29, 83: *et quoniam videris hoc velle, ut — virtus satis habeat ad vitam beatam praesidii; — illud idem cum pace agemus:* intelligendum, *velle a nobis explicari.* Igitur vindicavi hanc formam supra I, 22, 52.

Alia exempla attigit Stallbaumius ad Platon. Protag. p. 323 A. Hinc mox, 32, 77 init. verbo *docere* non indigemus, et hoc fortasse interpolatum est: non tamen abiiciam. Magis verisimile est, *Cleanthis* nomen, ibid. ante pronomen *ipse*, interpolationi deberi.

33, 80. *Tu enim de sapiente quaesieras, cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine, aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia vixque appareat; qui nihil opinione affingat assumatque ad aegritudinem, nec id putet esse rectum, se quam maxime excruciari luctuque confici, quo pravius nihil esse possit.* Coniunctivi (*affingat*, *assumat*, *putet*) sic demum defendi poterant, si relat. *qui* rationem redderet, dicereturque, propterea malum nullum, quod turpitudine vacaret, videri posse sapienti, quod nihil opinione affingat cet. Sed hoc concedi nullo modo potest. Verba, *cui aut malum*, inchoant alterius correctionem (itaque meliori interpunctione utitur Orellius, quam Tregderus), quasi dicat, *sed huic malum vid. n. p.:* eandemque correctionem continuat, ubi subiicit *qui nihil opinione* —. Igitur tum in his restituatur Indicativus, tum in clausula legatur, *quo pravius nihil esse potest.*

34, 81. *Sunt enim certa, quae de pauper-*

tate, certa, quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant. Non cadere opinor hunc locum in eam normam, ex qua *sunt-qui* necessario Coniunctivum postulat, potiusque eius esse rationis, quam breviter describit Beierus ad Offic. I, 2, 5. et 30, 109. In Madvigii certe Gramm. Latin. § 406 requiro diligentiam. Ipsum adeo verbum *solere* in hac sententia Coniunctivum excludit. Intelligimus enim recte dici *sunt quae dicantur*, in quo nihil definitum cogitatur: sed, *quae dici solent*, necessario ad certa tempora et opportunitates referendum. Iterumque restituimus fidenter Indicativum, § 83, pro his, *quod — habitare nullo modo possit.*

Pergamus ad IVtum librum, modo ne legentium otio abutamur.

2, 4. *quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege sanxerunt.* In hoc postremo verbo subiectum e praecedd. quaerendum est: unde fieret, *XII tabulae lege sanxerunt.* Sed ex varietate in libro Pith. efficiendum est, *sancitum erat.*

2, 5. *facile ut appareat nostros omnia consequi potuisse, simul ut velle coepissent.* Non agitur de *consequendo.* Modo dictum erat de poëtis et de oratoribus, qui brevi tempore Ro-

mae exstitissent: neque hi, neque Romani quidquam *consequebantur*. Sed opponuntur inter se *posse* et *velle*, quorum illud de facultate, hoc de voluntate et studio dicitur. Itaque deleatur *consequi*.

4, 7. *Quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus. Requirere*, quod est sane *ulterius quaerere*, quod iam quaerere coepisses, non est huius loci. Vitium ortum ex duplicato *r:* legendumque *exquiremus*. Suo loco *requiro* ponitur infra § 10 init., ubi praeterea corrigendum est, *et post requires*, pro *sed*, rursus perperam una consonante duplicata.

5, 10. *animum iu duas partes dividunt, alteram rationis participem faciunt, alteram expertem.* Ferrem, si dixisset, *quarum alteram.* Nunc nihil postulari videtur, nisi ut interpretetur Graeca, *τὸ λογικὸν* et *τὸ ἄλογον*. Igitur delendum interpositum *faciunt*, quod ipsum verbum vix usurpari posse videtur, nisi in iis, quae ipsi fingimus, aut excogitamus, ut 16, 35: ideoque ne illo quidem offendor, quod est Fin. IV. 4, 8 (*caput esse faciunt*), de quo Madvigius annotavit.

6, 12. *eiusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem.* Imo *appellemus*, ut fieri solet in eiusmodi conamine,

quo Latinum sermonem ad Graecorum rationem accommodare studet. Igitur recte § 13 et *appelletur*, et *nominetur:* conf. infra 12, 28, ubi recte vindicatur *dicatur*, prae eo, quod boni libri habent, *dicitur.*

6, 13. *Praesentis autem mali sapientis affectio nulla est. Stulti autem aegritudo est ea, qua afficiuntur in malis opinatis animosque demittunt* cet. Haud iniuria haeserunt in h. l. viri docti, inde a Bentleio (qui tamen immerito offendebatur duplici genitivo in prima parte sententiae). Nolo tempus terere in singulorum suspicionibus explorandis. Sed, quum ex prava librariorum distinctione ortum esset alterum *autem*, (quod in nonnullis Codd. omittitur), totius loci concinnitas periit, quam sic restituendam esse arbitror: *praesentis autem — nulla est, stulti aegritudo est, eaque afficiuntur —*. Equidem non offendor verbo plurali post Genit. singularem (*stulti*), siquidem *stultus* collective de toto genere dicitur: id, quod commemorari potuisset a Zumptio Gramm. § 366. et a Madvigio § 240. Inde fortasse defendendum, quod Tregderus MSS. secutus edidit 11, 25, *qui μισάνθρωποι appellantur.*

9, 21. *discordia ira acerbior intimo odio et corde concepta.* Merito haec non sana visa sunt

viris doctis; sed facili fortasse negotio sanentur, duobus verbis transpositis: *acerbior odio, et intimo corde concepta.* Frustra quaeras hanc definitionem in Diog. Laërt. VII, 113.

12, 28. *Ergo et invidi et malevoli —, quia proclives ad eas perturbationes, non quia semper feruntur.* Sequendi erant Codd. qui *ferantur* praebent, sicut modo, § 27. *non quia iam sint, sed quia saepe sint.*

13, 31. *Velocitas autem corporis celeritas appellatur.* Putide dictum. Scribendum *et celeritas appellatur.*

14, 31. *Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt, sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item —.* In his Madvigius verba *non possunt corpora* abiicienda censet, ceteroquin recte perspecto totius sententiae consilio. Verum, illis sublatis, eiusmodi instituitur sententia, cui subiici exspectes, *corpora non possunt*, id quod minime voluit Cicero: dicit enim hoc, quum *morbo tentari* et animi et corpora possint, hoc tantum interesse (*sed*), ut in corporibus hoc fiat sine culpa. Itaque legam, *morbo tentari, ut corpora, possunt.* Nam difficile est Klotzii (Nachträge zur Cicer. Tusc. Disput. a. 1843. p. 162)

rationem probare, qua contendit servandam esse vulgatam, (animos valentes morbo tentari non posse), quod, si morbo tentari possent, non iam *valentes* essent. Fugit eum, idem in corporibus dici posse.

15, 34. *Quando et aliis locis de virtute diximus et saepe dicendum erit*, (*pleraeque enim quaestiones — a virtutis fonte ducuntur*), *quando igitur virtus est affectio animi constans, — ex ea proficiscuntur honestae voluntates —*. Apparet, post parenthesin instaurari sententiam, in qua rectissime post protasin (*quando igitur*) subiicitur apodosis. Sed perquam absurde haec apodosis subiicitur illis, *quando — diximus*. Istic nimirum aliam formam sententiae instituerat, corrigendumque, *quod et aliis locis —*, nempe, eam esse affectionem animi constantem: sed idem aliquanto faciliori complexu verborum mox instaurat. Paullo infra satis est *inimici*. Innumerabilibus locis effundunt librarii superlativos.

17, 39. *Qui si error stultis extenuetur die —*. Corrigendum *extenuatur:* fieri enim hoc et satis constabat, et supra demonstraverat.

17, 40. *Sed ea modica*. Nihili est h. l. coni. *sed*. Ex sequentibus (*magna tamen —*) intelligitur, Ciceronem aliquid concedere, sed ita, ut Peripateticorum doctrina evertatur. Dixit igitur

sit ea modica, i. e. ponamus ex vestra doctrina, hanc quoque aegritudinem modicam esse.

19, 43. *haec nullam habent vim, nisi ira excanduit fortitudo.* Conclusionem hanc esse oportet eorum, quae ex Peripateticorum oratione per Accus. et Infinitivum memorare instituerat. Igitur corrigendum videtur *habere*, et *excanduerit*. Contra, § 44 (*noctu ambulabat* —) eorum sententiam recta oratione proponit: iterumque § 45. Rursus, illo modo § 46, ubi extr. corrigendum *existimant*.

22, 49. *At sine hac gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Aiacem multa cum hilaritate, quum depugnaturus esset cum Hectore.* In recta oratione id, quod ex poëta excitaretur, sic enunciandum erat: *progreditur Aiax, quum depugnaturus est cum Hectore.* Neque illa forma orationis ullo modo admittit Imperfectum Conj. *esset:* et solet in huiusmodi exemplis Praes. Indicativi uti, sicut II, 7, 19. et passim. Quare h. l. *esset* mutandum in *est*. Ubi in historiae mentione Praeteritum ponit, tamen Indicativum post *quum* servat, sicut 23, 51.

24, 54. *Quid? ista bellatrix iracundia, quum domum rediit, qualis est cum uxore, cum liberis, cum familia, an tum quoque est uti-*

lis? Licentiae facinus committam, delendaque censebo quinque postrema verba, ne tantillum quidem praefatus.

26, 56. *At etiam aemulari utile est*, oratio esse poterat eius, qui reliqua iam obtinuisset, eaque nunc cumularet, (*etiam.*) Sed extremum hoc perfugium obiici fingitur, ceteris iam amissis. Igitur praestabit, *attamen aemulari* —. Sed ne in sequentibus quidem eadem coniunctio ferri potest: *obtrectantis* (*est*) *angi alieno bono, quod id etiam alius habeat.* Quorsum enim pertinere *etiam* dicemus? Neque enim *id etiam*, neque *alius etiam*, neque *habeat etiam* probari poterit. Relinquitur ut corrigamus *iam.* — Sequitur: *qui id approbari possit, aegritudinem suscipere pro experientia, si quid habere velis?* Ex constanti usu praep. *pro*, sententia haec exibit: suscipere aegritudinem tamquam si haec experientia esset: quo quid magis absonum cogitari potest? Corrigendum, *prae*, qua praep. indicatur comparatio, ex qua spreto altero alterum praeferatur. Vult enim, qui probari potest, ut quis angi et dolere malit, quam experiri an ipse idem consequi possit. Eandem correctionem ab Huldrico adhibitam Milonianae 2, 3. fin. perperam sprevit Madvigius in novissima editione Orationum Selectarum.

26, 57. *Sunt enim omnia ista ex errorum orta radicibus, quae evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda nec amputanda sunt.* Requiri puto participia feminina, *evellendae* cet., ut ad *radices* referatur.

27, 58. *animorum salus inclusa in iis ipsis est.* Satis constans Ciceronis consuetudo postulare videtur, ut *iis* deleatur: conf. Madvig. ad Fin. II, 28, 93. Additum illud pronomen longe diversam efficit sententiam, sicut infra 31, 66.

35, 76. *Haec inconstantia mutabilitasque mentis quem non ipsa pravitate deterreat?* Proba loquendi forma, nullo in libro, ut videtur, obliterata: cuius tamen opportunitate utar ad corrigendum Nat. Deor. II, 2, 6. fin., ubi legendum, *quem non — coegerunt?*

37, 80. Innumerabilia in verborum modis et in sententiarum distinctionibus corrigenda praetermitto. Hic tamen locus non videbatur omittendus esse sine animadversione. *Qui autem natura dicuntur iracundi aut misericordes aut invidi aut tale quid, ei sunt constituti quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen, ut Socrates dicitur. Quum multa in conventu vitia collegisset in eum Zopyrus, — derisus est a ceteris, — ab ipso autem Socrate sublevatus, quum illa sibi insita, sed ratione a se deiecta*

diceret. Sic edidit Tregderus, et, ut opinor, novissimi quique editores. Quum tamen agnosceretur in verbis, *ut Socrates dicitur*, non absolvi sententiam, nec satisfieri constructioni, inde natae videntur corruptelae, tamquam correctiones, vel *Socratis*, vel *de Socrate.* Sed manebant duo vitia, tum quod sequentia sic abrupte a coni. *quum* inchoarentur, tum quod *in eum* diceretur, etiamsi is, quo istud pertineret, non esset in eadem verborum comprehensione appellatus. Non sensisse videntur Editores, non absolvi quidem ista, *ut Socrates dicitur*, sic ut oportebat, verbi causa, *de se dixisse;* sed, interpositis aliis, negligi istud initium, et per anacoluthiam exire sententiam in haec, *quum — illa diceret.* Itaque pro maxima, minima distinctio ponenda erat ante verba *quum multa.*

Sed properandum ad finem est. Itaque pauca tantum in V^to^ Libro indicemus, quae corrigenda videantur.

1, 2. *Nam quum ea causa impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut omnibus rebus posthabitis totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent, profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam ope-*

ramque posuerunt. Bentleii acerrimum ingenium effugere non potuit vitium orationis in hac sententia: igitur commendavit, apud Davisium, ut pro *ea*, legeretur *aliqua:* ipse Davisius *quaedam*, quod eodem redire dicit. Scilicet, non tantum ex Latini, sed ex cuiuscumque sermonis norma, in vulgata lectione requirebatur ut pronom. *ea* in sequentibus declararetur, vel per relativum *quae*, vel alio quocumque modo: sicuti statim *eos*, *qui.* Frustra autem huiusmodi explicationem quaerimus: nam, *ut totos se in exquirendo collocarent*, officium et munus et operam susceptam indicat, non causam impellentem. Quod Bentleius excogitavit, *aliqua*, (nam Davisianum *quaedam* minime omnium probandum), et aliis nominibus displicet, et quod ita *spes* illa, quae in fine memoratur, pro *causa* habenda sit: ut argumentatio huiusmodi fingatur: »necesse est aliqua causa impulerit philosophos: ea causa nulla alia est praeter spem beate vivendi." Fieri tamen posse concedo non esse hoc plane spernendum: sed adverb. *profecto* in ea affirmatione poni solet apud Ciceronem, quae excipiat dubitationem aut controversiam propositam. Sic Nat. Deor. I, 2, 5: *quorum (philosophorum) opiniones quum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto*

potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit. Cf. ibid. 6, 14 fin. ubi prava distinctio efficit, ut *profecto* novam sententiam ordiatur, quum potius sit clausula superiorum. Sed ita fieri hoc notandum est, ut ista affirmatio quodammodo discedat ab eo, quod ante propositum esset: sicut intelligitur ex hoc exemplo, Offic. I, 1, 2: *quamobrem — de rebus ipsis utere tuo iudicio —; orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem:* cuius loci haec sententia est, »ut omittam (quo modo scribit Orat. II, 8, 33 fin.) res ipsas, quas non impedio quominus ab aliis discas, hoc tamen affirmabo Latinam, cett. —." Brut. 2, 7: *quod si fuit in re publica tempus ullum, — tum profecto fuit, quum —.* Conf. Milon. 2, 4. Propterea igitur, quod affirmatio omnis excludenda est ex protasi, itemque quod aliae causae alios ad philosophiae studium impellere potuerunt (quemadmodum de se scribit Cicero Nat. Deor. I, 4, 7: *si quis requirit, quae causa nos impulerit, ut haec tam sero literis mandaremus:* infra 24, 69, *horum adspectus impulit illos:*) nihil aliud, quod probari possit, excogitare mihi licuit, nisi ut legatur, *nam, quaecumque causa impulerit eos —.*

Quodsi in his aliquanto verbosior fui, brevi-

tate crimen redimam, iubeboque et § 2. *est*, post *fortunae*, et § 4. *virtus*, post *ulla*, abiicere: et § 6. fin. legere *primis est:* tum § 13. fin. transponere sic, *beata vita nec eas:* § 20. fin. parere Bentleio, ut *fuisset contemtus* legatur.

9, 27. *qui* (*Metrodorus*) — *definieris summum bonum firma corporis affectione exploratаque spe contineri.* Davisius putabat intelligi posse *explorata eius spe:* a quo dissentio. Sed tum *contineri* abundat, (ipsum illud *contineri* interpolatum agnoverunt viri docti infra 25, 72.) siquidem usitatum est Ciceroni *definire* cum simpl. Ablativo, tum *spes* illa adiectum requirit potius *semper ita fore:* quale quid adiicitur Paradox. II, 17. Nihil nunc ipse decerno de emendanda lectione.

19, 55. *Cinna collegae sui, consulis Cn. Octavi praecidi caput iussit.* In his *consulis* profecto delendum est: sicut mox 56, *cum collega Catulo*, recte dicitur.

22, 63. *Musicorum vero perstudiosum, poetam etiam tragicum; quam bonum, nihil ad rem.* Apparet, in sequentibus non absolvi constructionem. Itaque alii aliter haec redintegranda esse censebant, vel addito *accepimus fuisse*, vel sic, ut Accusativi in Dativos mutarentur.

Nihil ipse decerno: sed contendo probari non posse id, quod Orellius putabat, cerni in his ἀνακόλουθον. Etenim huiusmodi negligentiae hoc tamen praescribit ratio, ut reditus fiat ad eandem, quae initio instituebatur, sententiam: quale est illud 19, 54, *similemne putas* cet., et aliud exemplum, 23, 64—66. Hoc autem loco, in verbis, *sed ut ad Dionysium redeamus* —, minime reditur ad eius studium musicorum et poeticam facultatem, suntque haec potius arctissime coniuncta cum superioribus.

23, 65. *Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum.* Quid opus erat in tantilla re *multis?* qui ne praesto quidem fuisse videntur: erant principes tantum Syracusanorum cum Cicerone. Neque *multi* appellari solent, nisi cogitando certe opponantur *paucioribus.* Corruptum esse suspicor ex vero *simul.*

24, 69. *Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis, ut, quum totius mundi* cet. Quum nihil in sqq. subiiciatur, quo coni. *ut* solvatur, de Bentleii sententia Davisius sustulerat e textu. Perperam. Sed non satis est dicere, sicut Orellius, esse ἀνακόλουθον· ostendendum, ubi abrupta sententia instauretur et absolvatur. Hoc igitur fit 25, 70: *haec tractanti*

animo cet. Interpositae sunt digressiones complures. Ita *ut*, suspensum infra 29, 82, recte explicuit Beier. ad Offic. T. II. p. 365.

25, 70. *neque se in brevitate vitae collocatam putat, quum rerum causas — videt.* Rectissime Davisius praetulerat, ex nonnullis libris, *collocatum:* fieri non potest, ut *cogitatio putare* dicatur. Sed subiectum verbi habebimus, mutato *quum* in *qui*, quo ipso defenditur Indicativus *videt.* Supra erat *quum perspexerit*, et reliqua. Sed, quum in postremis verbis, *quibus ab aeterno tempore — moderatur*, obiecti descriptio continuetur, quasi per Accus. cum Infinit. dixisset, *quibus — rationem moderari*, requiritur Coniunctivus, *moderetur.*

27, 76. *ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim.* Acquiesco in Lambini iudicio, qui *ut* delebat. Sed reliqua novam sententiam inchoant, in quibus corrigendum *hunc* pro *eum.* Sequentia, tum *extimescet*, tum § 77. *cedet*, requirunt signum interrogandi.

27, 78. *quorum imbutae mentes pravitatis erroribus.* Corrigendum *pravis. Pravitas* oritur ex illis erroribus, in eoque ipso cernitur, quod iis imbuta mens est.

29, 83. *Et quoniam videris hoc velle, ut,*

quaecumque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtus satis habeat ad vitam beatam praesidii, quod quidem Carneadem disputare solitum accepimus; sed is, ut contra Stoicos —; nos illud idem cum pace agemus. Si enim Stoici fines bonorum recte posuerunt, confecta res est; necesse est semper beatum esse sapientem. Sed quaeramus unamquamque reliquorum sententiam cet. In principio huius loci similis servatur breviloquentia ei, quam vindicabamus supra III, 31, 76: volebat enim A. ut hoc sibi a Cicerone demonstraretur. Sed recepta interpunctio indicio mihi est editores non recte percepisse sententiae absolutionem, tamquam si ea continerctur verbis, *nos illud — agemus:* (unde Klotzius arripuerit *agimus*, non invenio.) Contra, omnia illa, inde a *quod quidem*, usque ad *beatum esse sapientem*, in digressione dicuntur, extra ipsius, quod propositum erat, ordinem; eoque redit demum, instauratque abruptam sententiam, verbis *sed quaeramus —*.

30, 85. *Nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicant, negare eos esse beatos, qui illam adepti sunt.* Primum requiro *expetendam:* in his placitis, non *petenda*, sed *expetenda fugiendaque* inter se opponi solent: et *laus* nihil aliud nisi ipsum *honestum* est. Sed

practerea permutandi modi verborum sunt. Loquitur de certis philosophis, non indefinite, qui *dicunt*, ut recte multi Codd. habent: tum, quoniam hoc universe et tamquam in definitione ponitur, *qui adepti sint*, non *sunt*.

31, 87. *Sequetur igitur — beata vita virtutem, — nec eam minis [blandimentis] corrupta deseret.* Sic edidit Tregderus.' Codd. fere *minimis blandimentis:* a Bentleio erat *minis aut blandimentis*. Et sane, ut *blandimentis* servaretur, postulabat particip. *corrupta*. Fin. I, 10, 33, *blanditiis deleniti atque corrupti.* Difficile tamen est statuere, cuius vel *minae*, vel *blandimenta* intelligenda sint. Istud *minimis* corruptum esse puto ex *nominis* (sc. quo *beatus* appellatur). Sic Fin. I. § 42, *splendore nominis capti.* Cf. infra V. 10, 30. In proximis, *siqui sunt, qui desertum illum Carneadem curent defendere*, nemo, puto, probabit, ut dicatur *Carneades defendi*, multoque minus *ille Carneades.* Non de ipso, sed de placito eius (supra § 84. fin.) agitur. Itaque corrigendum *illud Carneadeum.*

33, 94. *quarum (voluptatum)' genera contemnunt, quaerunt tamen copiam.* Bene Madvigius ad Fin. p. 94. demonstravit omittendum esse *non*, quod Codd. ante *contemnunt* insertum

habent: sed credibile mihi videtur syllaba *con* absorptam esse, quae apte restituatur, coni. *quum.*

34, 98. *his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.* Neque Spartanum, parcum verborum, haec adiecisse puto, neque exemplum hac Ciceronis interpretatione indigebat. Interpolata mihi videntur. Et, nisi vererer nonnullorum superstitionem, idem dicerem de his verbis, 35, 101, *quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes?* quibus avelluntur ea, quae statim versibus illis subiici oportebat, sicuti I, 44, 105, *quem Hectorem*, multisque aliis locis: ex ipso enim versu iteratur *haec habere.*

35, 102. *signis, credo, tabulis, ludis.* Vellem mihi hos Ablativos explicari: cui si satisfactum esset, quaererem tamen, quid huc *ludi* pertinerent, quos nemo *privatus habet*, ut mox dicitur (conf. Paradox I, 3, 13. et V, 36.), quique non possunt *paupertati* opponi. Suspicor in eo verbo latere *indiges.*

37, 107. *At enim sine ignominia efficere sapientem.* Mutila esse haec merito agnoverunt viri docti, quorum diversa iudicia nunc expendere nolo. Sed mihi videtur propter unius vocabuli (*ignominia*) repetitionem, quaedam neglecta

esse, hunc in modum restituenda: *At enim sine ignominia cogitare non licet exsilium. Quasi ulla possit ignominia afficere sapientem!*

39, 113. *quod credibile vix esset*, imo *est*.

40, 117. *portus enim praesto est, quoniam mors ibidem est aeternum nihil sentiendi receptaculum.* Novissimi editores *ibidem* uncinis incluserunt. Mallem sensissent *mortis* vocabulum tacite in his intelligendum esse, tum ne dici quidem posse *mortem esse receptaculum*. Deleto hoc, restabit *ibidem*, i. e. in illo portu, et universe, ut Graec. ἐκεῖ, apud inferos. Cf. supra ad I, 13, 29.

III.

De Atheniensium εἰσφορᾷ.

§ 1.

Quaeritur utrum singulorum bona publice aestimari solita fuerint, eique aestimationi accommodari εἰσφορά.

Incredibile dictu est quantum Boeckhii disciplina, compluribus scriptis prodita, profuerit iis, qui rerum Atticarum cognoscendarum studio ducerentur. Ubi enim antea merae tenebrae erant, ideo quod viri docti, aliud plerumque agentes, tradita colligere magis, quam in causas inquirere solebant, eaque distracta ac dissipata prodebant, quorum nisi ex prudenti collatione oriri poterat intelligentia, in iisdem, verissimam

indagandi viam ingressus, Boeckhius lucem accendit enodavitque quae ante eum inexplicabilia videri solebant. Quarum laudum si longe maximam partem ingenio eius et prudentiae et eruditioni deberi constat inter omnes, nonnihil tamen temporum quoque quasi ingenio et voluntati vindicandum esse suspicor. Quis enim neget, quum diu admirabili diligentia e monumentis erui explicarique solita essent omnia quae Atheniensium civitatis historiam attingerent, et bellorum eventus vicissitudinesque, et clarorum virorum res gestas, et temporum rationem, et locorum descriptionem, haud ita pridem demum novum inquirendi disputandique genus ortum esse, ut quaereretur quae domestica et privata populi disciplina, quae facultates, quae studia quaeque negotia essent, quibus illae facultates pararentur, tum quo modo his omnibus publicae civitatis opes copiaeque niterentur? Quod institutum nemo erit, opinor, qui non agnoscat novae doctrinae tribuendum esse, quae patrum et nostra memoria exstitit et summorum ingeniorum contentione mirifice crevit, in qua res rationesque civium inter ipsos, tum privatarum facultatum copiarumque quaerendarum augendarumque modi et vicissitudines, omnino societatis humanae praesidia explicentur, sine quarum

rerum diligenti observatione nullius civitatis publicas causas neque intelligere, nec tueri liceat.

Hinc igitur profectum est Boeckhii consilium eius disciplinae rei publicae Atheniensium, quae reditus publicos et expensas attinebat, ita indagandae illustrandaeque, ut a privatorum re familiari initium duceret, demonstraretque quibus universorum viribus totius civitatis opes niterentur. Ignorata fuerat haec disciplina veteribus ipsis. Et operae pretium est videre quam nihil istorum attingat ea prudentia, quam in civitatis rectore Socrates commendat Glauconi (Memor. Socr. III, 6.), quam inanis istorum sit ea prudentiae civilis doctrina, quam Aristoteles in Politicis explicat, quantis angustiis circumscribatur id, quod in senatore postulat Cicero, *causas populi tenere* (Legg. III, 18, 41). Et Romae quidem si forte quid recte et prudenter et tam aequitati quam publico commodo consentaneum fieret, non id communi prudentia, sed singulorum iudicio fiebat; unde, exempli causa, necesse habuit Cicero, quum Verris scelera et furta explicaret, quamque aratores in Sicilia penitus is evertisset demonstraret, iudicibus praecipere, in iis, quae huic hominum generi imponerentur, arationis ipsius vim ac rationem considerandam

esse, quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit ac debeat. (Verr. III, 86, 199.)

Boeckhius igitur iam a. 1817 praestantissimum illum commentarium quatuor libris edidit, in quo exposuit qua ratione Athenienses, florentissima rei publicae aetate, publica commoda et praesidia tueri soliti essent: in quo dubium est scientiae magnitudinem, an iudicium ac delectum, an rerum ipsarum ex hodierna prudentia acutam interpretationem magis laudandam esse dicas. Quae studia si per se commendanda sunt, quod incredibilem cognoscendi voluptatem afferunt, multo etiam graviora et utiliora sunt necesse est, si ad horum, quae vivimus, temporum prudentiam conferuntur. Neque de hac tantum parte veterum literarum, sed valet de plerisque et de gravissimis, desidiosam, ut Cicero appellat, ex iis delectationem quaeri, nisi cum praesentis vitae eruditionisque usu et iudicio coniungantur. Quapropter, si ad hunc ingeniorum cultum, quo nunc liberaliter eruditi omnes delectantur, pertinet orationis elegantia, e cuiusque sermonis copiis innumerabilibusque vicissitudinibus ac varietate petenda informandaque, non oportebat tam superbe a Boeckhio contemni (ut fecit in Praefationis initio) eorum studia, qui Atticam sermonis venustatem vel in singulis

saepe syllabis rimantur, eamque nonnullorum socordia vel spretam, vel obliteratam vindicare conantur. Sed dixi de hoc genere sententiam meam olim, in Bibl. Crit. Nov. III. p. 402, redeoque ad publica Atheniensium civitatis instituta.

Quaerendi argumentum praebuit mihi Boeckhii disputatio sane quam et docta et ingeniosa, quam Lib. IV[to] explicuit de ea pecuniae contributione, quam εἰσφορὰν appellabant. De hoc genere publicorum redituum tantum constat, non pertinuisse ad solemnes et perpetuas civitatis expensas, quam διοίκησιν nominabant (Lysias Nicom. p. 860 sq. Demosth. Timocrat. p. 732), sed praeter ea, quae per triërarchias praestabantur, expeditionum bellicarum sumtibus tolerandis destinatum fuisse, ab eo inde tempore quo conditae in aerario copiae, maximam partem e sociorum tributis ortae, non amplius suppetebant. In huius autem contributionis fundamento ac tamquam descriptione definienda est quod mihi minus probetur Boeckhii disputatio; cuius seriem, ne nimis divagemur, nunc persequi in animo est.

Primum, in quo offendo, hoc est, quod (Occon. Civ. Ath. II. p. 618 (*)), eo nomine hoc tributum appellat (*Vermögensteuer*), quo indicari solet tributum ex ipsis bonis exigendum, nec po-

(*) Sequor paginarum numeros in Editione altera. Berol. 1851.

tius alio, quo referretur ad bonorum fructus. Quamquam eius appellationis vim aliquanto melius describit p. 674 med. Sed hac de re videbo, ubi ad eius rationes pervenero. His autem praemittit quaestionem de universis populi copiis, quantas fuisse verisimile sit. Sensit enim, ut opinor, quod ne in hodiernis quidem civitatibus, in tanta documentorum copia et fide, ultra coniecturae probabilitatem definiri nullo modo potest, de tam remotis et obscuris temporibus affimari nihil posse. Nihilominus, quum semel *εἰσφοράν* ad illud tributorum genus retulisset, quod ex ipsa re familiari (*οὐσία*, *οἶκος*) exigeretur, necesse sibi putavit aestimationis periculum facere (l. c. p. 636 sqq.). Et de Polybii quidem auctoritate, (qui II, 62, ubi Phylarchum perstringit, de Atheniensibus narrat, *ὅτι τότε κρίναντες ἀπὸ τῆς ἀξίας ποιεῖσθαι τὰς εἰς τὸν πόλεμον εἰσφορὰς, ἐτιμήσαντο τήν τε χώραν καὶ τὴν Ἀττικὴν ἅπασαν, καὶ τὰς οἰκίας, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λοιπὴν οὐσίαν. ἀλλ᾽ ὅμως τὸ σύμπαν τίμημα τὴς ἀξίας ἐνέλιπε τῶν ἑξακισχιλίων διακοσίοις καὶ πεντήκοντα ταλάντοις.*) sic pronunciat, primum fieri non posse quin ipsis monumentis Atheniensium nitatur, siquidem conspiret cum Demosthene Symmor. p. 183 et 186. et cum Philochoro apud Harpocrat. v. *ὅτι ἑξακισχίλια·*

tum, intellexisse Polybium non tantum praediorum, omnino immobilium aestimationem, sed reliquorum quoque cuiusvis generis bonorum: porro repudiandam esse eorum virorum doctorum opinionem, qui istud redituum τίμημα, non ipsorum bonorum, fuisse sumsissent, probandamque esse Harpocrationis doctrinam, qui v. τίμημα, apud Demosthenem l. c. hoc κεφάλαιον interpretetur: nihilominus erroris arguere posse se profitetur Polybium, demonstraturus illum numerum 5750 (aut 6000) talentorum multo inferiorem esse vera omnium bonorum aestimatione, tum erroris fontem indicaturus.

In his nihildum deprecandum videtur, nisi ut ne quis abutatur Harpocrationis interpretatione: si quidem κεφάλαιον sane caput est, ex quo particula tantum, tamquam εἰσφορὰ, exigatur, nondum autem decernitur utrum caput illud bonorum, an redituum aestimationem referat.

Boeckhius igitur, posteaquam demonstravisset ex multis indiciis et rationibus pretium omnium bonorum in Attica longe multumque superavisse illum numerum 6000 talentorum, ordine deinceps explicaturus est τίμημα istud partis tantum eius ex singulorum patrimonio fuisse, quae tributaria censeretur, quae pars pro portione in amplioribus fortunis maior, in tenuioribus minor

fuisset. Nihil huic sententiae obstare affirmat, nisi forte locum Aristophanis Eccles. 818 sqq. (ex Ol. XCVI. 4, quum illam Polybii auctoritatem recte retulisset ad Ol. C. 3. Arch. Nausinico:) nam 500 illa talenta, quae Euripides ex τεσσαρακοστῇ civitati reditura affirmavisset, aestimationi 20000 talentorum respondere. Sed, si tamen Comici verba εἰσφορὰν quamdam spectant (quamquam difficile est demonstrare, cuius bellicae expeditionis opportunitate), nihil impedit quo minus illis temporibus nondum certum τίμημα lege constitutum fuerit, itaque is, qui istius πόρου modum commendasset, fiducia scilicet et facultatum populi et voluntatis, nimia exspectatione ex eventu definiverit: qualem eventum si aliquoties istud negotium habuerit, ea causa esse potuit cur quindecim annis post, Nausinico Archonte, res accuratius et moderatius definiretur, sumta aestimatione 6000 talentorum.

Sequitur explicatio classium Solonearum, quarum cum tribus certa τιμήματα coniuncta erant. In qua disputatione probandum in primis hoc est, nullum videri perpetuum tributum exigi solitum fuisse, eumque censum tantum valuisse ad exigenda onera militiae et liturgiarum, et impertivisse magistratuum gerendorum facultatem certumque locum in re publica. Quod au-

tem ad praesentem quaestionem dirimendam non exigui momenti est, negligitur ab eo; nempe Solonea τιμήματα non fuisse οὐσίας, sed προσόδου. Itaque, quum Pisistratus et Pisistratidae postea tributa exigerent, unde tum urbis commodis prospicerent, tum sacra tuerentur, tum bellicos sumtus tolerarent, primum decimam, tum vigesimam exegerunt proventuum. (Thucyd. VI. 54. τοὺς Ἀθηναίους εἰκοστὴν μόνον πρασσόμενοι τῶν γιγνομένων, τήν τε πόλιν αὐτῶν καλῶς διεκόσμουν, καὶ τοὺς πολέμους διέφερον, καὶ ἐς τὰ ἱερὰ ἔθυον.) (*) Neque hoc contemnendum est, onera omnia tum imposita fuisse praediorum et pascuorum reditibus, quod genus copiarum ac divitiarum diu solum cognitum in Attica fuit, et sero demum hoc exsistere potuit, de quo loquitur Xenophon Vectig. IV. 6, quum ἀλυσιτελεῖς αἱ γεωργίαι γίγνονται, πολλοὶ ἀφιέμενοι τοῦ τὴν γῆν ἐργάζεσθαι ἐπ' ἐμπορίας καὶ καπηλείας καὶ τοκισμοὺς τρέπονται.

Sequitur apud Boeckhium coniectura sane

(*) Alios modos pecuniae comparandae, quibus Hippias uteretur, recenset Aristoteles Oecon. II. p. 1347. a. Bekker., in quibus hoc erat, ut liturgiarum onera unicuique redimere permitteret, τίμημα τάξας μέτριον, i. e. aestimationem, quam si solverent, inscriberentur εἰς τοὺς λελειτουργηκότας. Haud dissimilem redemtionem ab equestri militia suasit postea Xenophon Hipparch. IX, 5.

quam ingeniosa de modo tributi definiendi quod a singulis, quorum census constaret, exigeretur, si forte, quamvis raro, opus esset. Fingit enim secundum Solonis prudentiam et humanitatem censum illum sic fuisse usurpatum, ut primum ex magnitudine proventuum pretium sortis ipsius, i. e. agrorum et pascuorum, definiretur; tum omnibus pro ratione universi patrimonii tributum imperatum fuisse, sed, pro discrimine classium, id est fortunarum, singulis classibus certam sortis partem tamquam tributariam definitam fuisse, maiorem pentacosiomedimnis, minorem reliquis duabus; easque designatas partes fuisse illa τιμήματα. Hoc igitur a se inventum egregie illustrat Boeckhius tabulis et computationibus, sed nullum indicium, nullum vestigium memorat quod secutus ad hanc totius negotii adumbrationem pervenerit. Ego non opponam meam quandam coniecturam Boeckhianae, et tamen hanc repudio, non temere, ut opinor, sed motus tum quibusdam indiciis, tum rei ipsius natura. Primum de tributis, quae Pisistratidis pependerunt Athenienses, gravissimi auctoris diserto testimonio novimus ἐκ τῶν γιγνομένων soluta fuisse; neque credibile est Pisistratum quidquam innovasse in hoc quidem Soloneo instituto. In hac igitur disciplina fieri sane potest, quamquam

affirmare non audeam, ut ratio habita fuerit fortunarum, neque idem pro portione ab omnibus classibus fuerit exactum: quamquam δεκάτη certe et εἰκοστὴ non nisi ἁπλῶς exigi potuerunt; sed nihil indicat e proventibus effictam fuisse ipsius sortis quamdam aestimationem, quo tamquam fundamento niteretur definitio tributi. Nec minus eiusmodi rationem respuit rei natura. Nam in illa societatis conditione, quae tum in Attica fuit, propterea de pretio praediorum, ne ficta quidem aestimatione, quidquam definiri poterat, quoniam eiusmodi pretia mercatu demum et in continuo rerum commercio, rebus rationibusque crebro contractis, intelligi possunt, maximeque ad eam rem requiruntur alia fortunarum genera, quae quum domini praediorum possessione commutare solent, tum demum oritur et contentio, et pretii definitio. Atqui diu fuit post Solonem ante quam in Attica vel opificia florerent, vel mercatura, vel navicularia, vel negotiatio et foeneratio, quibus omnibus artibus et ἐργασίαις postea demum hoc perfectum est, quod in hodiernis civitatibus, ut, quaecumque venalia essent, his certum pretium non fingi sed constitui potuerit. Sed post fortasse videbimus alia, quibus dubitatio mea confirmetur (*).

(*) Boeckhius p. 658. not. a. fin. interpretatur locum

§ 2.

Quaeritur, utrum publica exstiterit cuiusque bonorum descriptio.

Quum hoc igitur sumsisset Boeckhius, ut diceret Soloneum τίμημα, non quidem ipsam cuiusque fortunarum dignitatem indicasse, sed tamen certam earum partem, pergit (l. c. c. 6. p. 662 sqq.) alia instituta commemorare, quae cum illo censu fuissent coniuncta. Sed iterum requiro testimonia, quum dicit Athenis usurpatam fuisse publicam cuiusque bonorum descriptionem; (qua in re hoc quoque committit, ut barbaro et hodierno utatur vocabulo, ***kadaster:*** quae consuetudo, ubi veterum res interpretamur, semper mihi periculosissima visa est.) Hoc si ita intelligendum

Xenophontis Hippar. IX, 5, ut, inquit, τὸ ἱππικὸν τελεῖν non sit ***censum equestrem conferre***, sed solvere eam pecuniam, qua quis se ab equestri militia redimat. Nihil huiusmodi deprehenditur in Xenophonte: sermo est de iis, οἷς καθήκει τὸ ἱππικόν, quorum officium est ea militia fungi, sed qui malunt τελεῖν ἀργύριον ὡς μὴ ἱππεύειν. Rursus, p. 660. not. *b.* disputat de iis, quae poni solita essent in magistratuum ἀνακρίσει (εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτῷ, εἰ τὰ τέλη τελεῖ), ex Polluce: quae sic erant interpretanda, ut prior formula ad tempora classium Solonearum referretur, quibus sublatis, ut apud Dinarchum, sola postrema manebat, utrum quis in Symmorias relatus esset, itaque εἰσφοράν, si exigeretur, penderet.

est, tamquam si publice, veluti per magistratum, statis temporibus ea descriptio susciperetur, parum idoneo vocabulo ἀπογραφῆς utitur, a quo et Aristoteles Polit. V, 8, quum uti potuisset, abstinuit, sed dicit τιμᾶσθαι κατ' ἐνιαυτὸν, aut διὰ τριετηρίδος ἢ πενταετηρίδος, et apud Oratores tam ἀπογραφὴ, quam ἀπογράφειν et ἀπογράφεσθαι, de voluntaria, quae a privatis fiat, professione vel bonorum, in iudiciis, vel mercium, v. c. apud pentecostologos, vel pecuniarum publicarum, quas quis aerario inferat, dici solebant eodemque modo apud Aristotelem Oecon. II. p. 1346. b. init., et passim in eodem libro. Tamen affirmat Athenis exstitisse duplex institutum, primum eiusmodi publicas tabulas praediorum (*Grundkadaster*), tum alteras, in quibus universa bona descripta essent (*Vermögenkadaster*): quorum neutrum, pace viri praestantissimi dicam, sic demonstrari potest, ut eius sententiam de εἰσφορᾷ adiuvet. Sed ante videamus de Grammaticorum interpretationibus, in quibus usurpandis magnam esse cautionem adhibendam nemo facile negabit. Igitur Suidas v. ἀνασύνταξις, manifesto interpretatur id, quod Athenis, ubi εἰσφορὰ per Symmorias cogeretur, in singulorum voluntaria ac libera professione τιμήματος, fieri soleret si eventus non respon-

disset exspectationi, nempe ut populi iussu et auctoritate eorum, quos fraudis suspicio tangeret, *σύνταξις* corrigeretur: nihil autem de perpetuis tabulis bonorum, quas civitas ex certo instituto paratas habuisset (*). Eodem referendum videtur Lexicon. Seguer. (†): sed reliquae,

(*) *τὰ διαγεγραμμένα τιμήματα ταῖς συμμορίαις, ὅταν δόξῃ τῷ δήμῳ χρῄζειν προσθήκης ἢ ἀφαιρέσεως, καὶ ἕλωνται τοὺς τοῦτο πράξοντας, τοῦτο ἀνασύνταξιν καλοῦσιν.* In quibus ipsum hoc *πράξοντας*, ***qui exigerent***, cogitare nos iubet de Androtione, cui odiosum negotium obiicit Demosthenes in Androtionea. Non opus est explicare, *συντάξεως* vocabulum usurpari in illa descriptione, quum definitur quis et quantum quisque conferre deberet; id quod ex compluribus Demosthenis locis intelligitur. Sed ex hoc usu suspicor Platonem transtulisse locutionem ad argumentum diversum, in quo demonstrat, una particula corporis laborante sensum ad totum corpus pertinere, Rep. V. p. **462**. C.: *οἷον, ὅταν που ἡμῶν δάκτυλός του πληγῇ, πᾶσα ἡ κοινωνία ἡ κατὰ τὸ σῶμα πρὸς τὴν ψυχὴν τεταμένη εἰς μίαν σύνταξιν τὴν τοῦ ἄρχοντος ἐν αὐτῇ ᾔσθετό τε καὶ πᾶσα ἅμα ξυνήλγησε μέρους πονήσαντος ὅλη.* Sed in his tum *τεταγμένη* recipiendum e duobus Codd., tum legendum *εἰς μίαν σύνταξιν τὴν τοῦ ἀλγοῦντος*· neque enim *τοῦ ἄρχοντος* cogitari potest *σύνταξις*, sed ea esse fingitur, quae sit inter partem dolentem et reliquas corporis partes.

(†) P. **184**, **32**. *ἀνασύνταξις, ὅταν διὰ τῶν γραμμάτων τινὰς κουφίσωσι, λέγεται.* in quibus, locutionem *διὰ γραμμάτων* (unde *διάγραμμα*), quae apud Harpocrat. v. *διαγραφή* recurrit, simulque alterum locum p.**236**,**9**, post tractabo.

quas e Grammaticis, v. ἀνασυντάξας, excitat interpretationes Boeckhius p. 662. not. *d.*, nihil huc pertinent. Sed, quoniam undique anquirit quod suae rationi praesidio esse videatur, concedet, opinor, ut iisdem utar, quibus eius sententiam oppugnem. Nam quae p. 664. not. *a.*, exempla indicat praediorum, non in privato, sed in publico Demi dominio, quibus tamen εἰσφορά imponeretur (Inscriptt. C. I. nº. 93 et 103), ea demonstrant certam et perpetuam publicam bonorum descriptionem, quo fundamento niteretur εἰσφορά si imperanda esset, Athenis nullam fuisse. Utrumque monumentum continet contractum locationis conductionis praediorum inter Demum et privatos homines. Sed quid attinebat in altero cavere, ἐάν τις εἰσφορὰ ὑπὲρ τοῦ χωρίου γίγνηται εἰς τὴν πόλιν, Αἰξωνέας εἰσφέρειν, ἐὰν δὲ οἱ μισθωταὶ εἰσενέγκωσι, ὑπολογίζεσθαι εἰς τὴν μίσθωσιν, si publica Aexonensium bona per ἀναγραφὴν cognita fuissent, itaque his necessario εἰσφορὰν imperari oportuisset? quam nunc satis perspicue agnoscimus non a domino, sed ab eo qui conduxisset exigi solitam fuisse. Eodemque modo in altero haec deprehendimus: ἐπὶ τοῖσδε μισθοῦσιν ἀνεπιτίμητα καὶ ἀτελῆ· ἐὰν δέ τις εἰσφορὰ γίγνηται ἀπὸ τῶν χωρίων τοῦ τιμήματος, τοὺς δημότας εἰσφέρειν. Arguunt, ni fallor, haec

duo exempla institutum sic fuisse, ut *εἰσφορὰ* imperaretur ei, qui praedio uteretur, non ei qui dominus esset, itaque minus verisimile esse singulorum dominia publice descripta fuisse. Et eandem rationem servari et aequum et necesse fuit in illis pupillarium bonorum *μισθώσεσι*, quae Archonte auctore fieri solebant.

Ubi de iis quaerit Boeckhius (p. 664), per quos ea descriptio, quam vult, fieri solita fuerit et servari, haud ita firmum praesidium iudicandi ab eo repertum esse suspicor in Hesychii verbis, v. *ναύκλαρος* (*). Primum enim, Thucydidis auctoritate III, 19, verissime sumserat primam omnium *εἰσφορὰν* exactam fuisse Ol. LXXXVIII. 1: atqui apud Hesychium intelliguntur necesse est *εἰσφοραὶ* ante Clisthenem, quae nullae fuerunt. Tum, verbum *ἐκλέγειν* usurpari constat in certis vectigalibus, aut in perpetuo ac definito tributo, qualis *φόρος* erat sociorum, sed neque in *ζημίᾳ*, neque in *εἰσφορᾷ*· in hac valere poterat *εἰσπράττειν*. Ne hoc quidem ferendum est, quod *ἀφ' ἑκάστης χώρας* dicitur, pro *χωρίου*. Ne Harpocrationis quidem verba,

(*) *τινὲς δὲ ἀφ' ἑκάστης φυλῆς δώδεκα, οἵτινες ἀφ' ἑκάστης χώρας τὰς εἰσφορὰς ἐξέλεγον, ὕστερον δὲ δήμαρχοι ἐκλήθησαν.*

v. δήμαρχος (*) conficiunt, eam, quam Boeckhius sumit, curam istiusmodi tabularum publicarum penes Demarchos fuisse. Equidem in tanta negligentia Grammaticorum, quod ad interpretanda Atheniensium instituta attinet, pronior sum in eam suspicionem, Harpocrationis verba componenda esse cum aliis Grammaticis (quos indicat Boeckhius p. 665. not. *b*.), qui Demarchorum

(*) οὗτοι δὲ τὰς ἀπογραφὰς ἐποιοῦντο τῶν ἐν ἑκάστῳ δήμῳ χωρίων. Corrupta lectio, χρεῶν pro χωρίων, apud Schol. Aristoph. Nub. 37.(nunc correcta a Dindorfio) in memoriam vocat Aristotelem Oecon. II. p. 1347. 6. fin., ubi Chiorum hoc institutum memoratur, ἀπογράφεσθαι τὰ χρέα εἰς τὸ δημόσιον. Iure hoc quidem excitavit Boeckhius p. 663: sed, quod cum illo instituto confert χρεωφυλάκιον, in Inscriptionibus Aphrodisiensibus (C. I. T. II. Nº. 2826 sqq.), requiro eius diligentiam. Apparet enim istud χρεωφυλάκιον non fuisse civitatis institutum, sed in templi fuisse administratione, quo servarentur designationes monumentorum sepulcralium; itaque has testatorum ἐπιγραφὰς depositas fuisse in isto tabulario, quo in perpetuum constaret de iis, quae testator circa suum monumentum vel iussisset, vel vetuisset ne fierent. Ex Theophrasto (Stobac. T. II. p. 202. Gaisf.) quem citat, quique, ut oportebat, hanc ἀναγραφὴν, non, ut ipse, ἀπογραφὴν, appellat, conficiendum erat, neque omnia bona, neque omnia debita, referri in tabulas per magistratum dici, sed tum praedia tantum (κτήματα), tum ut unius aeris alieni nomine ea obligata essent. In verbis, καὶ τὰ αὑτοῦ πωλεῖ δικαίως, corrigendum est, καὶ εἴ τις τὰ αὑτοῦ π. δ., si sanam sententiam esse volumus.

munus, in describendis bonis eorum, qui τῷ δημοσίῳ deberent, indicant (*): et, si ἀπογραφαὶ istae fuissent tabulae perpetuae, dixisset sane Harpocration, quemadmodum de Lexiarchicis tabulis subiicitur, παρὰ τούτοις ἦσαν αἱ ἀπογραφαί κτέ. Neque contemnendum argumentum, quo conficiatur nullas eiusmodi praediorum tabulas fuisse, inde petitur, quod, in ἀμφισβητησίμοις χωρίοις, τὸν ἔχοντα oportebat ἢ θέτην ἢ πρατῆρα παρέχεσθαι ἢ καταδεδικασμένον φαίνεσθαι, sicut traditur apud Isaeum Aristarch. hered. § 24.

Sed, quum apud Harpocrationem non nisi χωρίων mentio facta esset, progreditur coniiciendo Boeckhius p. 665, affirmatque in illis, quas fingit, publicis tabulis reliqua quoque bona cuiuscumque generis fuisse descripta, dicitque de hoc ita constare, si quis, quae pater Demosthenes moriens reliquisset, conferat cum eo, quod tutores pupilli apud Symmorias professi essent. Quod multum abest ut accipere possim. Quare mihi videantur illi tutores, in isto negotio, πρὸς δόξαν potius quae tum fuisset divitiarum patris Demosthenis egisse, post dicam: sed certe non tam elaboratam et minutatim undique conquisitam bonorum recensionem in tutelari iudicio

(*) Conf. Etymol. M. v. ἕνδεκα, quaeque disputavi Schol. Hypomn. III. p. 223 sqq.

exposuisset iudicibus Demosthenes, si publicae tabulae bonorum exstitissent, qua ἀναγραφῇ recitanda defungi potuisset actor. Qualis porro ipsa illa enumeratio est, quae vix ad quatuordecim talentorum summam pertinet, quum ex Boeckhii sententia quindecim talentorum numerus postularetur? Eiusmodi scilicet, ut complectatur nonnulla, quae nullo modo Athenis in ullas tabulas publicas ἀναγράφεσθαι potuerunt, quaeque nemo sanus paterfamilias professurus erat, in primis pecuniam vel mutuo datam, vel in foenere nautico, vel apud mensarios collocatam, quorum nominum summa erat fere ad quatuor talenta. Quae qui consideret, concedat mihi necesse est, non sane apto exemplo usum esse Boeckhium quo suam opinionem commendaret. Et vix credibile est non meminisse eum ἀπογραφῆς (de qua vid. Meier. Bon. Damn. p. 201 sqq.), quae quo pertinuisset, si tamen uniuscuiusque bona publicae tabulae indicare potuissent? Sed ad Demosthenis Orationes epitropicas mox redibo. Videamus de Isaeo, ex quo duos locos indicat Boeckhius, quorum alter, in Schoemanni editione, est Apollod. hered. § 39 sqq., alter Dicaeog. hered. § 35—38. Ex his video, esse potuisse, qui, quum lauta uterentur fortuna, effugerent tamen liturgiarum et εἰσφο-

ρῶν onera, id est, non profiterentur divitias suas in Symmoriis, confici solitas fuisse publicas bonorum tabulas nec ipse video, neque Boeckhius ullis machinis extundere poterit, si rem iterum consideraverit, attenderitque, verbi causa, Dicaeogenis istius commemorari adeo τοσούτους ἀγρὸυς καὶ κτήματα (§ 43 fin.), quae, etiamsi si reliqua celare voluisset, necessario tamen in tabulas fuissent redigenda, si, ut solebat, ea descriptio ex officio per Demarchos facta esset. Quo loco non abs re est attendere ad illud institutum, ex quo praediis, quae creditori pignori concederentur a debitore, aut a marito iis qui dotem tradidissent (quae pignora ἀποτιμήματα appellabantur), ὅροι imponebantur cum inscriptione tum debiti, tum cui et a quo deberetur. Quanto magis aequum et simplex fuisset istiusmodi rationum contractarum indicia in Demarchorum tabulas referri, si ullae fuissent.

In his omnibus otiosam esse quaestionem puto, quam Boeckhius ibid. de dote explicat, cuius nomine quae deberetur εἰσφορὰ, a quo fuerit illa solvenda, a marito, an ab iis unde dos profecta esset.

Persecuturus hoc argumentum exponit dein quale fuerit εἰσφορῶν institutum, quod Arch. Nausinico, Ol. C. 3. initium habuerit (c. 7. p. 667 sqq.)

Hoc anno scilicet istud negotium nova lege constitutum fuisse videtur, sicut conficitur ex Demosthene Androt. p. 606 fin., ubi appellantur *αἱ εἰσφοραὶ αἱ ἀπὸ Ναυσινίκου*. Satis enim constat *εἰσφορὰς* saepe, inde a bello Peloponnesiaco imperatas fuisse, identidem populi decretis (conf. Isaeus fragm. Apologiae tutoris § 4. p. 163. Schoem.), quum crebro susciperentur expeditiones classibus, maximeque his extraordinariis contributionibus opus fuisse in Sicula expeditione (Ol. XCI. 2.), de quo tempore Thucydides VI. 26. tradit, civitati belli gerendi facultates suppeditavisse *καὶ ἐς χρημάτων ἄθροισιν, ὥστε ῥᾷον πάντα ἐπορίζετο*. Quippe credibile non est, quae ibid. 31 dicitur *ἀνάλωσις* facta esse *ἐκ τοῦ δημοσίου*, quum praesertim thesaurus in arce diu exhaustus esset, fieri eam potuisse citra graves satis *χρημάτων εἰσφοράς*. Alias eorumdem temporum opportunitates, per quas, praeter alia auxilia, pecuniam quoque mitti opus fuerit, diligenter persequitur Boeckhius T. II. p. 194 sqq. ed. 1ae: conf. quae annotavit in C. I. ad n°. 144. Quibus angustiis aerarium per illa tempora premeretur, perspicue indicat Thucydides VII, 28 sq. Nec minus post democratiam restitutam, Ol. XCII. 2, his privatorum auxiliis opus fuit; si quidem statim 100 talenta, in quo

aere Lacedaemoniorum fuerant Trigintaviri, universa civitas solvere decrevit, facta εἰσφορᾷ (*). Brevi post, Athenarum animis erectis, crebro his contributionibus res gerendas ornaverunt. Itaque apud Lysiam Bon. Aristoph. p. 633, εἰσφοραὶ πολλαὶ commemorantur, et Aristophanes dicitur suo et patris nomine εἰσενεγκεῖν οὐκ ἔλαττον μνῶν τετταράκοντα· similiterque complures per illa tempora (nempe Thrasybuli et Cononis, ante Ol. XCVII. 3.) εἰσφορὰς fuisse, intelligitur ex Lysia Contr. Ergocl. p. 818, et ex Isaeo Dicaeog. hered. § 37. Schoem., ubi Lechaei ἅλωσις, quae commemoratur, incidit in Ol. XCVI. 3. Rursus aliud exemplum est apud Lysiam Ἀπολ. Δωροδ. p. 698, ubi reus profitetur se contulisse εἰσφορὰν, alteram 30, alteram 40 minarum (ante Ol. XCIII. 4.): quod exemplum nollem tamen Boeckhius p. 677 ita interpretatus esset, quasi tantae pecuniae summae ab isto homine ex censu constituto exigi potuissent: nam ingens eum ambitio perduxerat ad incredibiles illas largitiones, adeo ut ne trierarchiae quidem excusatione uteretur, quum per legem

(*) Quo verbo composito utitur Demosthenes Leptin. p. 460. 21. (συνεισενεγκεῖν), id explicandum ex δήμου appellatione, qua ii tantum indicantur, qui a Piraeeo in urbem rediissent.

potuisset, quo minus illo quoque εἰσφορᾶς onere premeretur. Post Arch. Nausinicum primum duo exempla εἰσφορῶν animadvertimus apud Xenoph. Vectig. III, 7 (quorum anni esse videntur Ol. CII. 4. et CIV. 2. conf. Boeckh. p. 778. not. *a.*), tum ea, cuius mentio fit apud Demosth. Androt. p. 606. 28, ex Ol. CVI. 2.

§ 3.

Quaeritur quid sit τὸ τίμημα.

Nondum sane plane demonstravi id quod mihi proposueram, quoniam in hac quoque quaestione, sicut in multis aliis, facilius est dicere quare quid falsum, quam quare quid verum sit. Veluti hoc nondum agnosco, quod Boeckhius fidenter pronunciat p. 670, in illa disciplina, quam nova lex Arch. Nausinico, circa hoc liturgiarum genus, induxisset, tria distingui, οὐσίαν, id est universum alicuius patrimonium, τίμημα, nempe certam ac definitam portionem τῆς οὐσίας quae tributaria esset, quaeque ideo in tabulas redigeretur, postremo εἰσφοράν, quae quoque tempore ex illo τιμήματι exigeretur. Ad huius sententiae demonstrationem utitur praecipue iis, quae a Demosthene in iudicio tutelae dicuntur, de quibus nunc aliquanto diligentius videamus.

Intelligimus ex Orationibus contra Aphobum, tutores Demosthenis, quum potuissent ac debuissent, noluisse μισθοῦν τὸν οἶκον, i. e. totam hereditatem, sed maluisse ipsi διαχειρίζειν (*). Quid igitur professi sunt εἰς τὸ δημόσιον? (†) Apud Symmoriam, quum relictam οὐσίαν ἀποκρύψασθαι διὰ τὸ μέγεθος πρὸς τὴν πόλιν non possent, multique essent qui nossent (⁎), quae ideo esset φανερὰ, quamque ipse pater magna ex parte φανερὰν ἐποίησε (⫞), ipse videlicet τὰς λειτουργίας λειτουργῶν, professi sunt pupilli facultates, de quibus citra hanc professionem, voluntario ab iis susceptam, ita constare non potuisset. Propterea dicit Orator, τὸ πλῆθος τῆς οὐσίας ὅτι τοῦτ' ἦν τὸ καταλειφθὲν, μέγιστοι μὲν αὐτοὶ μάρτυρές μοι γεγόνασιν· εἰς γὰρ τὴν συμμορίαν ὑπὲρ ἐμοῦ συνετάξαντο κατὰ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μνᾶς πεντακοσίας δραχμὰς εἰσφέρειν, ὅσονπερ Τιμόθεος ὁ Κόνωνος καὶ οἱ τὰ μέγιστα κεκτημένοι τιμήματα εἰσέφερον. Reliquos locos Boeckhius descripsit. Sed de his omnibus primum vix opus est monere, satis ita indicari neque alias publicas tabulas fuisse, in quibus

(*) P. 818. 7. et 826. 12. et 837. 7. et 862. 9.
(†) Locutio est p. 838. 5.
(⁎) P. 815. 24. et 831. 12.
(⫞) P. 836. 24.

omnia, quibus cuiusque οὐσία constaret, describerentur, neque hoc factum esse apud Symmorias. Quid igitur fieri solitum esse probabile est? Hoc, ut puto; ut, qui vel officio moti, vel ambitione, vel etiam metu ἀντιδόσεως, quum vulgo locupletes haberentur et οὐσίαν φανερὰν possiderent, sua sponte (*) apud Symmoriam quem decere arbitrarentur modum divitiarum profiterentur, eumque pecunia aestimarent (τιμήσασθαι), quo ipso verbo iam conficitur cogitandum non esse de singulorum bonorum enumeratione; utque alii multi sua celarent (ἀποκρύπτεσθαι), itaque illud onus effugerent. Itaque fiebat id, quod Plato enunciat Rep. I. p. 343. D. ὅταν τινὲς εἰσφορὰ ὦσιν, ὁ μὲν δίκαιος ἀπὸ τῶν ἴσων πλέον εἰσφέρει, ὁ δὲ ἔλαττον. Omnino fieri non potuisset ut vulgi opinio divitiarum, quantas quisque possideret, tam a vero discreparet, si accuratam bonorum omnium descriptionem tabulis contineri institutum fuisset. Quis ignorat, verbi causa, uberiorem illam disputationem apud Lysiam Bon. Aristoph. § 45 sqq., in qua compluribus iisque illustrissimis exemplis docet Orator, quam saepe opinio fortunarum a vera conditione abfuerit. Igitur Nicophemi quoque quum magnae divitiae fuisse

(*) ἐθέλοντας λειτουργεῖν, Demosth. Phaenipp. p. 1046.

vulgo censerentur, dicit (ibid. § 11) χαλεπὸν ἀπολογεῖσθαι πρὸς δόξαν, ἣν ἔνιοι ἔχουσι περὶ τῆς Νικοφήμου οὐσίας, καὶ σπάνιν ἀργυρίου, ἣ νῦν ἐστιν ἐν τῇ πόλει, καὶ τοῦ ἀγῶνος πρὸς τὸ δημόσιον ὄντος. Sed apponendum hoc est, de Callia Hipponici filio (*), cuius avus, ὥς φασι (sic leg. pro φησὶ) διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο αὐτοῦ (non αὑτοῦ)· τὸ τούτου τοίνυν τίμημ' οὐδὲ δυοῖν ταλάντοιν ἐστί. In quibus manifestum est, et τιμήσασθαι, et τίμημα, de tota οὐσίᾳ dici. Ex eadem ignoratione verae cuiusque fortunarum conditionis oritur hoc, quod Orator de se praedicat, se pupillum συμμορίας ἡγεμόνα fuisse per decem annos, neque ἀφ' ὑπαρχούσης οὐσίας (quam tutores spoliavissent), sed ἀπὸ τῆς δόξης ὧν ὁ πατήρ μοι κατέλιπε. Mid. p. 565. 15.

Quaeritur autem quid sit, κατὰ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μνᾶς πεντακοσίας [δραχμὰς] εἰσφέρειν (†). Manifestum est, hoc εἰσφέρειν εἰς τὴν συμμορίαν distinguendum esse ab ipso tributo, ab ipsa εἰσφορᾷ quae quoque tempore imperaretur: quamquam ipsa quoque professio, sive id. quod quis profitebatur, εἰσφορὰ dicitur, et p. 816 init. legimus, ταύτην δ' ἠξίουν (nempe tutores (*))

(*) Conf. Boeckh. l. l. p. 630 sqq.
(†) Idem dicitur p. 837. init.
(*) Locum in 1a ed. perperam explicitum, in altera ed. rectius interpretatur Boeckhius.

εἰσφέρειν τὴν εἰσφοράν, et alio loco (*), ὑπὲρ ὧν (χρημάτων) τηλικαύτην αὐτὸς εἰσφορὰν ἠξίωσεν εἰσφέρειν. (In eadem re alia locutione utitur Isaeus Apollod. hered. § 39. ἀπεγράψατο τίμημα μικρόν.) Necessario ipsum illud εἰσφέρειν (ut εἰσφορὰ) generale verbum, de quacumque fortunarum apud Symmoriam professione: sed τιμήσασθαι et συντάξασθαι, quibus verbis in illo tutorum negotio utitur Orator, cogitare iubent de diversis in Symmoria classibus, pro diverso modo divitiarum. Et quum ex Atheniensium democratiae ingenio fidenter statuere possimus, maiora onera imponi solita fuisse quo quis plus possideret, certumque tamen modum definiri necesse esset eorum, ex quibus pro rata parte, subsidia εἰς τὸν πόλεμον καὶ τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως (Isaeus Dicaeog. hered. § 37) peti possent, ne patrimonia exhaurirentur; huic disciplinae in primis conveniebat definire quotam partem οὐσίας qui conferret in Symmoriam in

(*) Contr. Aphob. ψευδομ. p. 862. 15. Itaque corrigendum erit Contr. Aphob. II. p. 837. fin. ἐξ ὧν τιμησάμενοι τὴν εἰσφορὰν (pro τὰς εἰσφορὰς) εἰσεφέρετε· nam αἱ εἰσφοραί sunt singulae, quae pendebantur, contributiones. Addatur ibid. p. 838. 9. εἰσφορὰν — ὅσην ὑμεῖς συνετάξασθε πρὸς τὴν συμμορίαν. et corrigatur p. 862. 11. ὑπὲρ παιδὸς ὄντος ἐμοῦ πέντε μνᾶς συνετάξασθ' (pro συνετάξατ') εἰσφέρειν.

prima classe censeretur, quotam in secunda, et tertia, et quarta. Igitur ex supra appositis Demosthenis verbis hoc conficere licet, diversarum classium in Symmoria hanc tantum designationem ex lege fuisse, ut de singulis vicenis quinis minis, quibus alicuius *οὐσία* aestimaretur, 500 drachmas profiteretur qui in prima classe censeri vellet, minus, qui in secunda, et sic porro. Fuisse autem illam primam, id est, ditissimorum classem, apparet ex iis verbis quae adiicit Orator, *ὅσονπερ — οἱ τὰ μέγιστα κεκτημένοι τιμήματα εἰσέφερον*. Et ex pari loco, in alia Oratione (*), apparet primum hanc primae classis designationem comprehendi potuisse simplici mentione quinque minarum (500 drachm.), tum istud *ὅσον* non nisi ad illam proportionem pertinere. Ad eandem proportionem referendum est illud Isaei in fragm. III. p. 163. Schoemann. *εἰσφορὰς λογίζῃ πόσας; τόσας καὶ τόσας. κατὰ πόσον ἀργύριον εἰσενηνεγμένης;* nempe *εἰσφορᾶς*.

His probatis, quae convelli posse non puto, sequitur minus recte ista interpretari Boeckhium. Quum enim Orator testimonium recitasset professionis apud Symmoriam, qua usi essent tutores pro ipso pupillo, hinc, inquit, p. 815, 27. manifestum est *τὸ πλῆθος τῆς οὐσίας· πεντεκαί-*

(*) Contr. Aphob. *ψευδομ.* p. 862. 10.

δεκα ταλάντων γὰρ τρία τάλαντα τίμημα· ταύτην δ' ἠξίουν εἰσφέρειν τὴν εἰσφοράν. Haec autem sic explicat Boeckhius p. 669: »οὐσίας, quae » 15 talentis constaret, eam sortem, quae tributo » obnoxia esset (*), esse tria talenta: tale tributum censebant (tutores) se pro me pendere » oportere (†), nempe, quantum inde sequitur." Et paulo post brevi sic complectitur suam doctrinam, ut dicat, in illo censu Nausinici, exemplo census Solonei, tria animadverti, primum ipsam οὐσίαν, tum id quod quis (apud Symmoriam) profitebatur, partem οὐσίας tributariam, idque esse τίμημα, postremo ipsam εἰσφοράν, quae quoque tempore imperaretur. In his, pace viri praestantissimi dicam, multis modis erratur. Nihil attinet monere perperam in hoc instituto Solonis exemplum commemorari; in cuius censu quare non ipsa οὐσία, quae tunc non nisi φανερὰ erat, sed fructus tantum aestimarentur, supra dixi. Sed, quod in Demosthenis illo loco tria talenta esse putat τίμημα, id neque rei natura concedit, neque linguae ratio. Nam, siquidem τίμημα ita cum alterius rei vel mentione vel cogitatione coniungitur, ut huius pretium

(*) »Das Steuerkapital oder der Schatzungsanschlag", plane, ut Reiskius ad h. l.

(†) »Solche Steuer glaubten sie geben zu müssen."

definire intelligatur, quo modo, quaeso, tria talenta τίμημα esse possunt quindecim talentorum? Omnino τίμημα aestimatio est pecuniae numero enunciata in rebus, quarum pretium vel incertum vel dubium esse potest. In re non multum dissimili Isaeus Pyrrh. hered. § 2, de hereditatis, quae petebatur, aestimatione, τρία τάλαντα τίμημα τῷ κλήρῳ ἐπιγραψάμενος. Sic apud Demosthenem Timocrat. p. 703. 14, ἐμήνυσεν Εὐκτήμων ἔχειν Ἀρχέβιον καὶ Λυσιθείδην τριηραρχήσαντας χρήματα Ναυκρατιτικὰ, τίμημα τάλαντα ἐννέα καὶ τριάκοντα μνᾶς, id est, quae aestimabatur novem talentis et dimidio. (Neque enim in eiusmodi μηνύσει verbum τιμήματος de poenae aestimatione dicebatur.) Nec minus confirmatur hoc verbis, quae supra apposita sunt, in hoc ipso argumento, Demosthenis tutores pupillarium bonorum nomine tantum professos esse apud Symmoriam, quantum Timotheus, καὶ οἱ τὰ μέγιστα κεκτημένοι τιμήματα εἰσέφερον. Manifesto enim in his id, quod εἰσέφερον (i. e. εἰσφορά), distinguitur ab eo, quod ἐκέκτηντο, i. e. a bonis universis, ab οὐσίᾳ, eiusque pretio, sive aestimatione pecuniae numero expressa, nempe τιμήματι· nec, puto, dici poterat quis κεκτῆσθαι εἰσφοράν, sed κεκτῆσθαι οὐσίαν, ut apud Isaeum Dicaeog. hered. § 36. Hagn. hered. § 48. Con-

firmatur hoc aliis verbis, quibus Orator utitur Contr. Aphob. II. p. 836. fin. ἔτι δὲ καὶ αὐτὸς Ἄφοβος — τῇ πόλει τὸ πλῆθος τῶν καταλειφθέντων χρημάτων ἐμφανὲς ἐποίησεν, ἡγεμόνα με τῆς συμμορίας καταστήσας οὐκ ἐπὶ μικροῖς τιμήμασιν, ἀλλ' ἐπὶ τοσούτοις, ὥστε κατὰ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μνᾶς πεντακοσίας εἰσφέρειν· quae nullam sanam sententiam continerent, si τίμημα ipsa εἰσφορᾷ trium talentorum consisteret. Eodemque modo, aliquanto post p. 837. fin., ἐξ ὧν τιμησάμενοι τὴν εἰσφορὰν (ut supra correxi) εἰσεφέρετε.

Quid igitur faciemus verbis illis, πεντεκαίδεκα ταλάντων τρία τάλαντα τίμημα? Apparet πεντεκαίδεκα ταλάντων τίμημα iungenda esse, et respondere iis, quae praecedunt, nempe τῷ πλήθει τῆς οὐσίας. Igitur, mira sane breviloquentia, hoc dicit, tria talenta arguere, indicare, manifestum reddere τίμημα quindecim talentorum. Cum his congruunt ea quae ponit Contr. Aphob. II. p. 838. 26, quum testimoniis probavisset, quae sibi a patre relicta essent: ταῦθ' οὗτοι πρὸς πεντεκαιδεκαταλάντους οἴκους συνετιμήσαντο ὑπὲρ ἐμοῦ. Omnino 500 drachmae, quae de vicenis quinis minis per legem debebantur, non magis τιμήματος verbo appellari possunt, quam certae, quae ex contractu debentur, sortis

usurae, huius sortis τίμημα appellarentur. Confirmatur, ni fallor, mea interpretatio iis verbis, quae Demosthenes ex sua lege trierarchica recitavit, Pro Coron. p. 262. init., ἀπὸ τῆς οὐσίας κατὰ τίμησιν, et, ἐὰν δὲ πλειόνων ἡ οὐσία ἀποτετιμημένη ᾖ χρημάτων—.

Nihil magnopere reprehendendum est in ea classium per singulas Symmorias distributione, quam fingit Boeckhius p. 671, modo teneamus aliam quoque excogitari posse non minus probabilem. Maioris momenti est id, quod dein quaerit (p. 672), quare, in illa apud Symmoriam professione, εἰσφορὰ partem tantum, non integram οὐσίαν complecteretur. Haud iniuria enim monet, ad rei eventum, id est ad conficiendum eum pecuniae numerum, quem civitas quoque tempore locupletioribus ad belli sumtus tolerandos pendendum imperaret, nihil interfuisse, utrum totius patrimonii minor pars exigeretur, an maior ex definita parte: sed hoc postremum ideo placuisse putat, quod existimarent Athenienses facilius accepturos esse locupletiores hanc tributi disciplinam et moderationem, si ita intelligerent non totum patrimonium tributo exhauriendum permitti, sed particulam tantum. Non accipio hanc opinionem. Non credibile esse puto, in illa democratia eiusmodi reverentiam et

modestiam multitudinis, quae leges iuberet, erga bonos valuisse. Contra, Athenis, quo firmius creverat populare imperium, tanto fidentius haec servabatur opinio, privatorum copias et facultates re vera rei publicae esse eique deberi, earumque, qui possiderent, non magis dominos, quam ταμίας esse (*). Sed omnino voluisse videntur Athenienses a locupletioribus, εἰς σωτηρίαν τῆς πόλεως, non continuo quidem pendi, sed praestari fortunarum quamcumque partem, qua res publica velut ἀφορμῇ uteretur, quantum opus esset, tamquam parato praesidio.

De hac autem ἀφορμῇ controversia est, propter locum Demosthenis Symmor. p. 186. 11. Postquam enim Orator Persarum regis belli gerendi facultates incredibiles et copias commemorasset, nempe mille ducentos ei esse camelos, ἃς βασιλεῖ τὰ χρήματ' ἄγειν φασὶ, adeo ut ridiculum foret si istis Athenienses, per εἰσφορὰν collatis 60, aut 120, aut etiam 500 talentis, pares fore sperarent; quid illi Persarum auro

(*) Cognoscitur haec opinio ex innumerabilibus Oratorum locis: conf. Lysias Bon. Aristoph. § 61 sq. Isaeus Philoctem. hered. § 61. Demosthen. adv. Nausim. p. 993. 13. Pro Phorm. p. 962. 12. πολὺ γὰρ χρησιμώτερα ὑμῖν παρὰ τῷδε ὄντα ὑπάρχει. Inde laudatur Apollodorus, apud Isaeum Apollod. hered. § 39 sic: ἐς αὐτὸν μὲν τὰ μέτρια ἀναλίσκειν οἰόμενος δεῖν, τὰ δ' ἄλλα τῇ πόλει περιποιεῖν.

opponit? Ἀλλὰ μὴν, inquit, εἴγ' ἐπὶ χρήμασιν αὐτῷ μέγ' ἐπέρχεται φρονεῖν, καὶ ταύτην ἀσθενεστέραν ἀφορμὴν τῆς ὑμετέρας εὑρήσει· aurum enim istud facile largiendo absumet: ἡμῖν δὲ τὸ τῆς χώρας τίμημα ὑπάρχον ἀφορμὴν ἑξακισχίλια τάλαντα ἀκούσεται. Supra, p. 120, vidimus quo modo ista interpretati sint Polybius et Harpocration. Apparet, τὸ τῆς χώρας τίμημα definito pecuniae numero constitisse. De ipsa χώρᾳ, quid sit, vix aliud probare licet, nisi ut intelligamus totam regionem, id est complexum omnium civium qui quid possiderent, quorum opibus ipsa respublica, ἡ πόλις, niteretur. Nam Polybius cogitasse videtur de loci discrimine, quo χώρα opponebatur nonnumquam ipsi urbi (*). Sed huius χώρας τίμημα nullo modo intelligi potest aestimatio pecuniae numero expressa, quantum ea valeret: quod si esset, numerum illum multo superiorem futurum fuisse, quam 6000 talentorum, vere demonstravit Boeckhius. Estne ei propterea concedendum, id quod supra oppugnavimus, τίμημα eam esse partem bonorum, quam quis εἰσφέροι, ita ut χώρας τίμημα nihil aliud esset, nisi complexus

(*) Quemadmodum in Byzantiorum decreto apud Demosthen. Pro Coron. p. 255. fin.: eodemque modo distinguuntur apud Aristotelem Polit. VI. 4 et 8.

omnium istorum τιμημάτων? Non puto, nec fieri potest. Multo aequius est ut dicamus, quemadmodum in iudiciis sententia iudicum definiatur, quantum a reo, poenae nomine, pendendum sit (ἀργυρίου τιμᾶν), ita lege definitum fuisse, quanta censenda esset pecuniae ἀφορμή, ex qua ad belli necessitates subsidia peti oporteret; itaque ista ἑξακισχίλια τάλαντα fuisse tamquam τίμημα, οὗ τὴν χώραν ἐτίμησεν ὁ νόμος, ex quo quantum quoque tempore esset pendendum (ἀποτῖσαι), psephismate semper imperaretur. Fieri certe nullo modo potuit, ut ille numerus conficeretur computatis singulorum εἰσφοραῖς, quarum universarum summa neque certa, neque perpetuo eadem fuerit necesse est, primum quoniam non omnes εἰσφέρειν aut profiteri apud Symmoriam solebant, permultique erant qui sua celarent, tum quod non stabiles solent esse privatorum facultates. Fuisse tamen certam illam summam 6000 talentorum definitam, apparet e singularum εἰσφορῶν definitione, ut vel ἑκατοστὴ, vel πεντηκοστὴ, vel εἰκοστὴ, vel δωδεκάτη exigeretur (*), cuiusmodi definitione indicabatur, quo numero omnino indigeret res publica. Ad eiusmodi definitionem per legis imperium transire debuisse Athenienses nemo mi-

(*) Locos indicat Boeckhius p. 674 sqq.

rabitur, qui reputet, illas copias. quibus initio belli Peloponnesiaci niterentur, quarumque fiducia tantas res susceperint, (de quibus Pericles apud Thucyd. II. 13.) diu fuisse exhaustas. Sed illa ἀφορμὴ, ut recte appellat Demosthenes, nulla alia cogitari potest, nisi paratae pecuniae (confer. Xenoph. Vectig. IV, 34 et 38: M. S. II, 7, 12. Hellen. IV, 8, 32 sq.), deque hac uti eum decebat verbo ὑπάρχειν, quemadmodum, in eodem genere, Pericles appellaverat τὰ ὑπάρχοντα ἐν τῇ ἀκροπόλει. Non concedit Boeckhius, p. 673, 6000 talentorum pecuniam in Attica in commercio fuisse; itaque non esse cogitandum de tributo istius magnitudinis. Sed, quemadmodum nemo, initio belli Peloponnesiaci, cogitavit de 6000 talentis, quae in arce servabantur, simul et uno haustu erogandis, ita istud τίμημα vere definiri potuit, etiamsi non nisi particulatim inde sumtus tolerandos identidem decernerent Athenienses. Ne hoc quidem ei concedo, ultra verum illam pecuniae paratae aestimationem factam esse. Ne in hodiernis quidem civitatibus facile est assequi, quota pars populi divitiarum et copiarum pecunia numerata contineatur: hoc tamen, facta comparatione nostrorum temporum cum illa conditione de qua nunc agimus, haud temere quis affirmet, aliquanto maiorem illam

partem fuisse Athenis, quum nondum inventum esset illud chirographorum genus, quo nunc multiplici pro numerata pecunia utimur, certumque genus possessionum, quarum in fide publica praesidium est, tum plane esset incognitum. Neque desunt exempla quibus hoc probetur (*). Eademque consideratio suadere debet, ut credamus summam publicorum redituum Athenis necessario aliquanto minorem partem fuisse omnis

(*) Apud Lysiam Diogit. § 5 sq. omnia, ut videtur, quae Diodotus moriens relicturus erat, constant 5 talentis argenti, quam tutori liberorum suorum παρακαταθήκην destinabat, tum 7 talentis cum 40 minis, quae in foenore nautico posita erant, postremo 2000 drachmis in Peloponneso sibi debitis mutuo: neque quidquam deinceps commemoratur, praeter ἔπιπλα, § 16: nihil, quod ad φανερὰν οὐσίαν pertineret, quam potius coemendam fuisse significatur § 23. Cononis testamentum, apud eundem Bon. Aristoph. § 39 sqq. nihil aliud continet. Apud Isaeum Ciron. hered. § 35. de hominis locupletis hereditate dicitur: σύμπαντα δὲ ὅσα φανερὰ ἦν, πλέον ἢ ἐνενήκοντα μνῶν· χωρὶς δὲ τούτων δανείσματα οὐκ ὀλίγα, ἀφ᾽ ὧν ἐκεῖνος τόκους ἐλάμβανε· atqui haec constabant numerata pecunia. Rursus, Hagn. hered. § 42. enumerantur ea, quae Stratocles reliquerat, ita ut, quae φανερὰ essent, aestimentur tribus talentis et quinque minis, χρέα δ᾽ ἐπὶ τόκοις ὀφειλόμενα, 40 minis. Apud Demosthenem Pasionis ἔγγειος οὐσία fuisse dicitur μάλιστα ταλάντων εἴκοσιν, ἀργύριον δὲ πρὸς ταύτῃ δεδανεισμένον ἴδιον πλέον ἢ πεντήκοντα τάλαντα· Pro Phorm. p. 945. fin.

pecuniae, quae in privatorum commercio esset, quam quanta in hodiernis civitatibus vulgo censeri solet (*).

§ 4. *De Symmoriis.*

Alia nonnulla, quae, ut solet, acute edisseruit Boeckhius, praeterimus, ut continuo aggrediamur hanc de Symmoriis quaestionem, quam tractare incipit cap. 9. p. 678. In hac nonnulla

(*) In publicorum redituum summa definienda laborat Boeckhius Lib. III. p. 566 sq., pugnare existimans Xenophontem, qui Anab. VII, 1, 27, reditus Atheniensium, initio belli Peloponnesiaci, tradit 1000 talentorum fuisse, cum Aritophane, qui 2000 talentorum dicit. Quippe ita interpretatur Xenophontis verba, quasi hic tributa quoque sociorum in ea summa comprehendisset. Sed, pace viri praestantissimi dicam, ἐκ τῆς ὑπερορίας non idem est, ac si dixisset ἐκ τῶν συμμάχων, voluissetque φόρους aut συντάξεις. Apud Lysiam Contr. Philon. § 8, ἐκ τῆς ὑπερορίας qui venissent, commodissime existimantur Megaris et e Boeotia venisse; sicuti ibid. § 9. εἰς τὴν ὑπερορίαν ἐξοικῆσαι dicitur, qui Oropum habitatum concesserat. Tum duo loci Xenophontis Sympos. IV, 31, et M. S. II, 8, 1, cogitare nos iubent de praediis, quae cives Attici nonnumquam extra Atticae fines habebant, id quod Aeschini exprobrat Demosthenes Pro Coron. p. 239 fin. Atque haec est illa κτῆσις ἐν τοῖς ὑπερορίοις, in libello qui Xenophontis nomine fertur, Rep. Ath. I, 19, quum intelligi necesse sit non socias civitates, sed ea quae belli iure acquisivissent Athenienses.

sunt, e quibus vix se expedit. Sed primum videamus, utrum recte affirmet, Symmorias Arch. demum Nausinico institutas esse, eas nempe, quae τοῦ εἰσφέρειν causa componerentur, quas ipse distinguit a Symmoriis triërarchicis. Auctorem praestat Philochorum apud Harpocrationem v. συμμορία. Sed non negligendum est improprie dici, διῃρέθησαν Ἀθηναῖοι κατὰ συμμορίας, etiamsi recte dicatur διαιρ. κατὰ δήμους· illud valeret, omnes omnino Athenienses per Symmorias descriptos esse, quod vix quisquam defensurus est. Requiro praeterea alios auctores huius rei, quos frustra quaero. Demosthenes certe, quum potuisset, nusquam huius instituti ortum commemorat, sed, ubi (Androtion. p. 606 fin.) appellat τὰς εἰσφορὰς τὰς ἀπὸ Ναυσινίκου, definitionem tributi intelligit, non Symmoriarum institutum. Quod autem Boeckhius sumit, Symmorias τῶν εἰσφερόντων, non triërarchicas, a Philochoro designari, ex iis certe quae praecedunt apud Harpocrationem, in quibus omnibus de triërarchico onere sermo est, hoc demonstrari nullo modo potest. Nomen ipsum Symmoriarum non sane memini ex illa aetate afferri posse, quae Demosthenis aetatem antecessit: quidquid autem Arch. Nausinico innovatum fuerit, res ipsa sine dubia vetustior erat, nempe ut, quos εἰσφέ-

ρειν oporteret, in diversas classes, pro diverso fortunarum modo, redigerentur. Hinc apud Aristophanem Equitt. 923 sqq. (Ol. LXXXVIII. 4.) in causa εἰσφορῶν, dicitur εἰς τοὺς πλουσίους ἐγγράφεσθαι. Ad similem distributionem referendum esse Isaei locum, supra p. 142, ostendimus: quamquam huius Orationes iam inde ab Ol. XCVII. 3. memorantur. Lysiae auctoritatem (apud Harpocrat. v. χίλιοι διακόσιοι), mortui quippe Ol. C. $\frac{2}{3}$, repudiat Boeckhius p. 684: nihilominus apparet tunc iam certum numerum definitum fuisse eorum, quos illud liturgiarum onus sustinere oporteret.

Sed operae pretium est considerare locum Demosthenis Olynth. II. p. 26. 21. (Ol. CVII. 4), quem, ut mihi videtur, non recte explicat Boeckhius p. 679. Πρότερον μὲν γὰρ, inquit Orator, εἰσεφέρετε κατὰ συμμορίας, νυνὶ δὲ πολιτεύεσθε κατὰ συμμορίας· ῥήτωρ ἡγεμὼν ἑκατέρων καὶ στρατηγὸς ὑπὸ τούτῳ καὶ οἱ βοηθησόμενοι οἱ τριακόσιοι, οἱ δ' ἄλλοι προσνενέμησθε, οἱ μὲν ὡς τούτους, οἱ δὲ ὡς ἐκείνους. Non inde conficiendum est, id quod Boeckhius vult, Symmoriarum institutum tunc non amplius ad εἰσφορὰς conferendas usurpatum fuisse, potiusque Athenienses eo abuti coepisse ad moderandas res publicas. Symmoriarum tantum similitudine utitur Orator, ut

factionum, quae in re publica erant, conditionem illustret ac describat. Itaque satis aperte in sequentibus significat duas tantum contrarias factiones esse (ῥήτωρ ἡγεμὼν ἑκατέρων), Symmoriae contra erant viginti. Sed, sicuti in his pauci ἡγεμόνες erant, tum ex omnibus trecenti, ditissimi, ut videtur, quos προεισφέρειν oportebat (de quo post quaeremus), reliqui autem tenuiorum facultatum cives, numero tantum valebant, et una cum illis conficiebant tantum, quantum imperabatur; ita fiebat, secundum Oratorem, in contrariis rei publicae factionibus, non ut universi et singuli sui iuris essent, et communium onerum munerumqne partem quisque debitam praestaret, sed ut distributa munera essent, paucis imperantibus, aliis ad triërarchiae, et tributi, et militiae onera vocatis, aliis solutis ac liberis, et suffragii iure in istos abutentibus. Conferri possunt haec, ut opinor, ad Symmoriarum disciplinam diiudicandam: Boeckhius tamen p. 683 profitetur se locum illum Demosthenis plane explicare non posse. Sed manifestum est Ulpiani ad illum Demosthenis locum commenta fluxisse e prava interpretatione; quumque recte animadvertisset factiones in re publica non plus duabus esse potuisse, in quibus nunc Orator trecentorum illorum similitu-

dine uteretur, pariter credidit omnium Symmoriarum ditissimos in duo collegia fuisse distributa.

Sed impeditius hoc est, pronunciare de numero χιλίων καὶ διακοσίων, quibus, secundum Ulpianum, omnes Symmoriae constiterint, quique soli tributum contulerint. Boeckhium, qui hoc p. 685 sq. ita refutat, ut dicat fieri non potuisse, ut istorum mille ducentorum universa εἰσφορὰ aequaret τὸ τῆς χώρας τίμημα 6000 talentorum, probare non possum propter eam istius locutionis interpretationem quam supra p. 148 sq. proposui. Numeri ipsius gravem testem habemus Isocratem Permut. § 145, apud quem diserte appellantur οἱ διακόσιοι καὶ χίλιοι οἱ εἰσφέροντες καὶ λειτουργοῦντες, cum iisque coniungitur τὸ τριηραρχεῖν καὶ τὰς ἄλλας λειτουργίας λειτουργεῖν· tum Isaeum, apud Harpocrat. v. χίλιοι διακόσιοι· nec puto huic definitioni opponi posse, quod ibidem tum ex Lysia, tum ex Isaeo χίλιοι commemorantur: attinebat certe sciri quibus verbis isti illud indicavissent. Quod autem Boeckhius in omni hac quaestione et olim contendit, et nunc tenet, quemadmodum in alio libro (Seewesen p. 178), et alias fuisse τῶν εἰσφερόντων Symmorias, alias triërarchicas, tum utrasque continuisse eundem numerum mille ducentorum, hoc igitur satis gravibus rationibus

refelli posse existimo. Nam, quod defendit triërarchicas Symmorias post illas demum τῶν εἰσφερόντων institutas videri, quod harum mentionem fecerit Philochorus in V^{to} libro Ἀτθίδος, mille autem ducentos in VI^{to} commemoraverit, valeret aliquid, si in praesidium vocaretur alius cuiusdam disertae anctoritatis; sed in tam nuda et negligenti apud Harpocrationem mentione, hunc testem recuso. Sed abutitur verbis Demosthenis Leptin. p. 462. 16, quae operae pretium est diligenter considerare. Τῶν γὰρ εἰς τὸν πόλεμον καὶ τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως πασῶν εἰσφορῶν καὶ τριηραρχιῶν ὀρθῶς καὶ δικαίως οὐδεὶς ἔστ' ἀτελὴς ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων. Apparet utrumque et εἰσφορὰς, et τριηραρχίας, una illa solemni designatione comprehendi τῶν εἰς τὸν πόλεμον καὶ τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως· tum utriusque instituti disciplinam niti veteribus legibus. Tum, postquam Orator legis περὶ τῶν τριηραρχιῶν hoc caput recitavisset, p. 465. 16, ex quo nemo ἀτελὴς esset τριηραρχίας, praeter novem Archontes, hoc argumentum concludit: οὐκοῦν οἱ μὲν ἐλάττω κεκτημένοι τοῦ τριηραρχίας ἄξια ἔχειν ἐν ταῖς εἰσφοραῖς συντελοῦσιν εἰς τὸν πόλεμον, οἱ δ' ἐφικνούμενοι τοῦ τριηραρχεῖν εἰς ἀμφότερα ὑμῖν ὑπάρξουσι χρήσιμοι, καὶ τριηραρχεῖν καὶ εἰσφέρειν. Quae, nisi ea comminisci velimus quae nullum

auctorem habent, aptissime sic explicantur; in iisdem Symmoriis, iisdemque mille ducentis, alios fuisse qui ad triërarchiae munus vocarentur, nempe ditiores, reliquos ad εἰσφορὰς tantum; sed ita, ut, qui triërarchiae munere fungeretur, per illud tempus, sicut aliunde constat, εἰσφορᾶς onere liberaretur, ceterum una cum ceteris εἰσφέρων. Non igitur isti diversis Symmoriis, sed in iisdem gradu tantum distinguebantur. Ipse Boeckhius (Seewesen l. c.) fatetur, fieri aliter non potuisse, quin qui in triërarchicis, quas fingit, Symmoriis essent, iidem in εἰσφορῶν Symmoriis censerentur: sed negligit hoc, si in illis mille ducenti fuerint, has εἰσφορῶν Symmorias non maximam partem, ut ille ait, sed totas ex illis constitisse; id quod ridiculum. Videamus de alio loco Demosthenis Symmor. p. 182. 12. Quum duplex consilium exponendum esset Oratori, primum de triremium facultate, tum ὑπὲρ χρημάτων πόρου, explicat sane novum suum inventum Symmoriarum ordinandarum ita, ut non nisi ad triërarchiam referat, et videri possit τοὺς χιλίους καὶ διακοσίους· intelligendos esse triërarchicos tantum. Non intercedo sic videri, itaque cepit Boeckhius p. 727. not *d.*, quum sentiret hoc potius ex illo loco consequi, easdem esse Symmorias τῶν εἰσφερόν-

των, et triërarchicas. Et tamen nihil verius est, quam hoc. Nihil attinet urgere loquendi morem, per quem, si qui perpetuo dicuntur οἱ χίλιοι καὶ διακόσιοι, necessario unum tantum genus hominum et comprehensio in civitate indicatur (quemadmodum οἱ πεντακόσιοι, οἱ τετρακόσιοι, οἱ πεντακισχίλιοι, οἱ τριάκοντα, οἱ ἕνδεκα, οἱ τριακόσιοι), ita ut non liceat de alteris quibusdam cogitare; sed res ipsa loquitur. Quale enim vitium tollere vult Demosthenes? Hoc, quod ex illis mille ducentis, qui per Symmorias distributi essent, non omnes, sed pars tantummodo ad triërarchiae onus vocari poterat, compluresque necessario in universo numero erant, quibus, propter iuris conditionem, recte quidem εἰσφορὰ, non item triërarchia poterat imponi (conf. Boeckh. p. 703.): indeque accidere necesse erat, ut pauciores triërarchi designari possent, (quorum non facultates tantum, sed personae postulabantur (*)), itaque nullo modo eae copiae praesto essent, quibus, pro rei publicae temporibus, opus esset ad classes bellicas instruendas.

(*) Itaque *personale* hoc onus erat, ut hodie loquimur; contra τὸ εἰσφέρειν facultatibus tantum imponebatur; unde in Androtionea p. 609. 24, τὰς εἰσφορὰς πότερον τὰ κτήματα ἢ τὰ σώματα ὀφείλει, τὰ κτήματα φήσειεν ἄν, — ἀπὸ γὰρ τούτων εἰσφέρομεν.

Igitur huius incommodi hoc remedium commendabat, ut, aucto illo numero ad bis mille, immunitas illa legitima quorumdam non nimis in angustum adduceret numerum eorum, qui ἐν μέρει triërarchiam tolerare possent. Sic enim, ex iisdem Symmoriis (sicut supra ostendimus satis perspicue significari in Leptinea) alii non aliud nisi εἰσέφερον, alii, ἐφικνούμενοι τοῦ τριηραρχεῖν, ἀμφότερα ὑπῆρχον χρήσιμοι, καὶ τριηραρχεῖν καὶ (nempe quo anno triërarchiâ non fungebantur) εἰσφέρειν. Neque, quod Boeckhius putat, erant iam tunc Symmoriae triërarchicae; sed Orator suadet civibus suis, ut, numero ad eum modum aucto, ut mille ducenta tamen σώματα manerent (non οἶκοι, in quibus reliqui censeri poterant), tum *facerent* Symmorias (ποιῆσαι συμμορίας εἴκοσι,) quarum singulae sexaginta σώματα, personas, continerent: quodque addit, ὥσπερ νῦν εἰσὶν, ineptum est interpretari, quasi eae intelligendae essent Symmoriae triërarchicae, diversae ab illis τῶν εἰσφερόντων. Necessario enim triërarchicae illae non nisi σώματα continere debuissent: in quibus tam ingentem numerum deficere potuisse, quo explicantur ii, quos ἀφαιρεῖσθαι oportere dicit Demosthenes, hoc quidem omnem fidem et verisimilitudinem superat. Iisdem Symmoriis et τοὺς εἰσφέροντας et triërarchos com-

prehensos fuisse, ideo negat Boeckhius (Seewesen p. 178), quod, quum bona pupillaria triërarchiae immunia essent, Demosthenes pupillus Symmoriae ἡγεμών fuerit. Ingenue fateor non intelligere me huius argumenti vim aut consilium. Ne alius quidem locus Demosthenis Boeot. de Nom. p. 997. 2. (quem tangit Boeckhius p. 680) ei, quam oppugnamus, sententiae praesidio esse potest. Nisi enim me omnia fallunt, ex his verbis: τίνα δ' οἱ στρατηγοὶ ἐγγράψουσιν, ἐὰν εἰς συμμορίαν ἐγγράφωσιν, ἢ ἐὰν τριήραρχον καθιστῶσιν; nihil aliud evincitur, nisi et unum tantum genus fuisse Symmoriarum, et ex iis qui inscripti essent triërarchos designatos: nec, credo, quisquam contendet Strategorum potestatem nihil pertinuisse ad τῶν εἰσφερόντων Symmorias.

Aliquanto diutius in hoc argumento haereo; sed, cum Boeckhio disputantem oportere censeo singula diligentissime excutere, nec vereri ne longum sit, qua excusatione doleo Schoemannum ab eiusdem, quam ego tueor, sententiae explicatione abstinuisse, Antt. Jur. Publ. p. 327. not. 8. Redeamus igitur ad Demosthenis Orationem de Symmoriis.

Quum igitur explicuisset Orator quo modo, ex illo numero δισχιλίων, detractis iis, quibus triërarchiae immunitas esset, mille ducentos,

per novas quasdam Symmorias distributos, totum illud negotium triërarchicum sustinere oporteret, in quo non nisi σώματα spectanda essent, pergit ita p. 183. 4: ἐπειδὰν δὲ ταῦθ' οὕτως ἔχοντα ὑπάρχῃ, (i. e. negotio illo triërarchico sic constituto ac descripto, ut prospectum sit triremium apparatui) κελεύω, ἐπειδὴ τὸ τίμημά ἐστι τὸ τῆς χώρας ἑξακισχιλίων ταλάντων, ἵν' ὑμῖν τὰ χρήματα ᾖ συντεταγμένα, διελεῖν τοῦτο καὶ ποιῆσαι καθ' ἑξήκοντα τάλαντα ἑκατὸν μέρη· εἶτα πέντε ἑξακονταταλαντίας εἰς ἑκάστην τῶν μεγάλων τῶν εἴκοσι συμμοριῶν ἐπικληρῶσαι, τὴν δὲ συμμορίαν ἑκάστῳ τῶν μερῶν μίαν ἑξηκονταταλαντίαν ἀποδοῦναι, ὅπως, ἐὰν μὲν ὑμῖν ἑκατὸν δέῃ τριηρῶν, τὴν μὲν δαπάνην ἑξήκοντα τάλαντα συντελῇ, τριήραρχοι δ' ὦσι δώδεκα, κτἑ.

In his explicandis Boeckhius p. 728, suum illud tenens de peculiaribus triërarchicis Symmoriis, consilium et mentem Oratoris pervertit, quasi pergeret hic in exponendis iis, quae novis illis mille ducentis (de quibus modo egerat) essent imponenda. Itaque per errorem τὰς μεγάλας τὰς εἴκοσι συμμορίας intelligit ipsas illas triërarchicas Demosthenis, easque opponit minoribus, quas fingit, intelligitque partes illas quinas, in quas illae Symmoriae singulae, ex Demosthenis scilicet consilio, essent distribuendae. Sed

neque ipse Orator has partes designat nomine minorum Symmoriarum, (nec facere poterat), neque αἱ μεγάλαι illae aliae sunt praeter Symmorias e maiori numero τῶν δισχιλίων descriptae, quaeque ita distinguuntur ab ea, quam modo ante Orator appellaverat συμμορίαν σωμάτων. Praeterea, quum et τὸ τίμημα τῆς χώρας commemoretur in his, et appareat agi nunc περὶ χρημάτων συντάξεως, conficiendum erat, nunc quidem non amplius de triërarchiis, sed de εἰσφορᾷ agi, quam omnes illi bis mille sustinere deberent. Scilicet, Boeckhius ipse, p. 729. init., agnoscit δαπάνην illam, quae triremium causa requiratur (Demosth. p. 183. 12), intelligendam non esse de sumptibus, quos triërarchi sustinere deberent, sed de pecuniae praesidio, quod publice esset comparandum, id est, a civibus conferendum, itaque necessario de εἰσφορᾷ, quam ridiculum esset fingere a mille ducentis illis tantum exigi oportuisse, nec potius a maiori illo numero τῶν δισχιλίων. Classe enim per triërarchos instructa, (quorum erat παρεσκευασμένας τὰς τριήρεις παρέχειν. Demosthen. l. c. p. 182. 25.) in ipsam expeditionem pecunia populi decreto decernebatur et imperabatur (de qua Demosthen. Polycl. p. 1208. 24, χρήματα ἃ εἰς τὸν ἔκπλουν ἐψηφίσασθε

εἰσενεχθῆναι.) Quo modo igitur probari poterit, id quod diserte Boeckhius enunciat p. 729. med., Oratorem nunc illam distributionem excogitasse, ut εἰσφορὰν secundum τίμημα accommodaret suis triërarchicis Symmoriis, ut hoc modo omnibus expensis prospiceretur, quas triërarchi ipsi non praestarent? Confunduntur sane iterum illae μεγάλαι συμμορίαι cum ipsis triërarchis apud Demosth. l. c. p. 183. 21. sqq., ubi agitur de εἰσπράξει τῶν σκευῶν.. Sed quid impedit quo minus ponamus, siquidem octingenti tamen additi essent numero mille ducentorum, Symmorias viginti ex his ita constitutas fuisse, ut singulae primum sexaginta personas (σώματα) continerent, tum reliquos quadraginta eorum quos non nisi εἰσφέρειν oporteret; itaque factam esse σωμάτων σύνταξιν, sed quae interior esset distributio, quam maior illa, εἰσφερόντων, Symmoriarum distributio complecteretur? Hoc modo illa σκευῶν εἴσπραξις recte imponi poterat maioribus illis Symmoriis, ita ut, qui in singulis quintis cuiusque Symmoriae partibus essent duodecim viri (κατὰ δώδεκα ἄνδρας, p. 182. 22. οἱ δώδεκα οἱ ἐν ἑκάστῳ μέρει, p. 183. 24), suae destinatae debitorum (sine dubio enim χρήστων, non χρηστὸν legendum est) partis exactione fungerentur.

Discedam ab hac novi consilii Demosthenici

(quod tamen eventum non habuit) interpretatione, si meliores mihi rationes opponentur. Hoc interea tenebo, nullas tum re ipsa Symmorias triërarchicas exstitisse, quae diversae essent a τῶν εἰσφερόντων Symmoriis. Nam, vix refutatione hoc indiget, quod Boeckhius p. 681. not. a. fin. velut novum sententiae suae argumentum ponit, in triërarchicis Symmoriis censeri non potuisse societates, tribus, pagos (*), a quibus omnibus tamen εἰσφορὰ exigeretur. Nam, si novas suas triërarchicas Symmorias Demosthenes aliter constituere et ordinare non potuit, nisi demtis illis, apparet hos antea certe in iisdem Symmoriis cum triërarchis fuisse. Et ne huc quidem confugere licebit, eosdem plerumque in utroque genere Symmoriarum censeri solitos fuisse. Non fuisset haec gravissimae rei disciplina, sed perturbatio. Contra, haec una norma fuisse videtur, ut, qui in Symmoriis censerentur, omnes εἰσφορὰν conferrent, sed immunes essent eius oneris οἱ πλουσιώτατοι τριηραρχοῦντες ἀεὶ, i. e. quo anno triërarchia fungerentur: Demosth. Leptin. p. 462. 23., quod sic tantum commode explicari poterit, ut manerent tamen in iisdem Symmoriis. Conf.

(*) Sic interpretor eius Germanica, *Körperschaften*, *Stämme*, *Gaue:* et suspicor indicari ab eo, quae a Demosthene uno nomine κοινωνικῶν appellantur. Conf. Boeckh. p. 703.

p. 465. 1. Ipse Demosthenes, qui pupillus per decem annos per tutores Symmoriae ἡγεμὼν proditus fuerat, ut ex eius bonis εἰσφοραὶ penderentur, ἐτριηράρχει εὐθὺς ἐκ παίδων ἐξελθὼν (Mid. p. 564. 21), id est, in eadem Symmoria manens ad triërarchiae onus vocabatur.

In his minime negligendum hoc est, quod, quum illud suum novum consilium in Oratione de Symmoriis explicaret Demosthenes, Ol.CVI. 3., quatuor annis ante iam perlata fuerat Periandri lex, καθ' ὃν αἱ συμμορίαι συνετάχθησαν, ut dicitur in Orat. Contr. Euerg. et Mnesib. p. 1045. 16. Hinc consequitur, Symmorias tamen per illam legem non eo vitio liberatam fuisse, quod postea Demosthenes tollere voluit, itaque mansisse in iis omnes illos, qui iuris beneficio triërarchiae immunes essent: unde efficitur, ne hoc quidem concedendum esse Boeckhio p. 723., ut has Periandri Symmorias triërarchicas appellet; omninoque τὰς συμμορίας συνταχθῆναι non est interpretandum *novas Symmorias compositas esse*, sed. *Symmoriis definitum esse ac descriptum, quo modo ad certa onera ferenda collaturae essent, Symmoriis impositum fuisse onus ex certa descriptione.*

Boeckhius deinceps, p. 685, probare instituit, fieri non potuisse, ut tributi (εἰσφορᾶς) confe-

rendi onus mille ducentis tantum illis fuerit impositum qui Symmoriis continerentur. Omitto hanc eius rationem, quam affert, Olymp. XCIV. non plus quinque mille cives fuisse, qui praedia non tenerent; id quod, commemorato Phormisii psephismate, tradit Dionysius Halic. Lys. p. 526. R. Nam illorum temporum conditionem si attendimus, et istius psephismatis consilium, quod, sicuti ex Lysiacae orationis fragmento, quod subiicitur, apparet, nullum aliud fuit, nisi ut oligarchia restitueretur, maxima sine dubio illa pars civium fuit, multoque pauciores οἱ γῆν κεκτημένοι. Ne hoc quidem me movet, Antipatri aetate plus quam novem millia fuisse, qui ultra viginti minas, i. e. tertiam talenti partem, possiderent. Quod autem argumentatur, exspectandum fuisse ut multo immoderatius εἰσφορὰν decerneret populus, si ea a mille ducentis tantum exigi potuisset, non cogitavit aliud esse decernere et imperare εἰσφορὰν, aliud in Symmoriam redigere (ἐγγράφειν εἰς τὴν συμμορίαν), in qua re Strategorum versabatur potestas, et fortasse libido. Sed in primis obsisto huic eius argumento, quum dicit, εἰσφορὰν definitam partem fuisse τιμήματος istius τῆς χώρας (6000 talentorum); atqui mille ducentorum illorum τιμήματα nullo modo simul efficere potuisse illam summam universi

τιμήματος· ergo plures necessario fuisse qui penderent. Nempe, supra satis videor mihi demonstrasse, singulorum in Symmoriis τιμήματα nulla necessitudine coniuncta esse cum eo τῆς χώρας τιμήματι, quod Athenienses tamquam rationum suarum fundamentum sumsissent. Speciosum sane hoc est, quod excitat Boeckhius p. 687, ut obtineat, plures fuisse εἰσφέροντας, praeter illos mille ducentos: nam, ex Androtionea p. 611. 12, constare, per Androtionem, cui mandatum esset τὸ ἔλλειμμα εἰσπράττειν, exiguas prorsus a nonnullis exactas esse pecunias, quarum nulla minam excederet; unde manifestum esse, praeter illos mille ducentos, alios quoque tenuioris conditionis homines addictos fuisse. Respondeo: si tutores Demosthenis, ex eius πεντεκαιδεκαταλάντῳ οἴκῳ, per novem annos, igitur in pluribus εἰσφοραῖς, non ultra duodeviginti minas erogarunt, et, si quinque aut sex talentorum οἶκος ipse quoque in λειτουργούσαις οὐσίαις censebatur, id est in iis, quibus et εἰσφέρειν et τριηραρχεῖν imponi posset (*), minime, credo, mirandum erit, si a talibus, in singulis εἰσφοραῖς, non ultra minam exactum fuerit: sit ita, ut minus etiam in illo exemplo exactum fuerit; in

(*) Conf. Demosth. Phaenipp. p. 1045. 25. Aphob. I. p. 833. 24. Isaeus Apollod. hered. § 42.

quo non negligendum, Oratorem, quo odiosiorem redderet rem, extrema exempla excitasse: sed quidni statuemus, non integram εἰσφορὰν, sed eius, quod deberetur, supplementum exactum fuisse per Androtionem, quum praesertim homines isti non ita tenuis essent conditionis, sed dicantur γεωργοῦντες καὶ φειδόμενοι, διὰ παιδοτροφίας δὲ καὶ οἰκεῖα ἀναλώματα καὶ λειτουργίας ἑτέρας ἐλλελοιπότες τὰς εἰσφορὰς, p. 613, 16, et publicari potuissent eorum χωρία et οἰκίαι, p. 609. fin.

Extremum, quo suam doctrinam defendit Boeckhius p. 688, hoc est, pagos illo numero mille ducentorum comprehendi non potuisse, ac tamen illis quoque εἰσφορὰν fuisse impositam. Verum ex iis, quae supra disputavimus p. 129 sq., hoc potius consequitur, non ipsos pagos, in quorum dominio fundi quicumque essent, εἰσφέρειν oportuisse, sed eos, qui fundis illis, verbi causa ex locatione conductione, uterentur et fruerentur.

Si igitur labefactasse videbimur ea praesidia, quibus nitebatur Boeckhii sententia, tanto fidentius repudiabimus eam totius rei ac descriptionis adumbrationem, quam ingeniose sane invenit ac proposuit in fine huius disputationis; ita tamen, ut ab alio aliam excogitari concedat, quae totum negotium melius explicet. Hoc autem antequam

suscipiatur, plura excutienda sunt, quae in sequentibus disputantur. Statim igitur videamus de collegio τῶν τριακοσίων.

De his agit Boeckhius p. 689 sqq. Nemo dubitat quin hi trecenti et ditissimi existimati fuerint, et ii, quibus τὸ προεισφέρειν psephismate imponi posset: apud Demosthenem enim Phaenipp. p. 1046. 24, ἄγειν εἰς τοὺς προεισφέροντας, idem est, quod prius dicebatur καταστῆσαι εἰς τοὺς τριακοσίους. Sed eo ipso refutatur illud, quod Boeckhius iterum inculcat, alios fuisse trecentos εἰσφορᾶς, alios triërarchiae. Apud Isaeum Philoctem. hered. § 60. diserte actor dicit, τὰς εἰσφορὰς εἰσενηνόχασιν ἀμφότεροι πάσας ἐν τοῖς τριακοσίοις, et de altero, εἰς τοὺς τριακοσίους ἐγγέγραπται καὶ εἰσφέρει τὰς εἰσφοράς· quum modo ante dixisset utrumque τετριηραρχηκέναι, sed ita, ut hoc munus non εἰσφορᾷ, sed reliquis (ἐγκυκλίοις) λειτουργίαις opponeret. Ipsa praeterea formula, οἱ τριακόσιοι, excludit duplex eo nomine collegium: nec, quid τὸ προεισφέρειν, aut omnino praecipuum cuiusquam onus, cum triërarchiae munere coniunctum, esse potuerit, facile quis dicat.

Trecenti illi, quin principes Symmoriarum fuerint, dubitandum non esse dicit Boeckhius: et ipse concederem, si prius intellexissem, quales

principes interpretaretur (*), nec suspicarer ita velle eum, quasi numerus ille ita per viginti Symmorias distributus esset, ut quaeque quindecim contineret. Postremum hoc propterea admitti non potest, quoniam actor apud Demosthenem ne mentionem quidem facit Symmoriae, sed Phaenippum, cui *ἀντίδοσιν* obtulerit, postulat *εἰς τοὺς τριακοσίους ἀνθ' ἑαυτοῦ καταστκθῆναι, οὐ πώποτε οὐδὲν λελειτουργηκότα οὐδὲ εἰσενηνοχότα τῇ πόλει*, p. 1039. 26: quamobrem iste ne in Symmoriam quidem *ἐγγραφεὶς* fuisse videtur, nunc autem in trecentos vocari, tamquam in peculiare collegium. Quod autem non decernit Boeckhius, utrum hi trecenti iidem fuerint qui *ἡγεμόνες* Symmoriarum, an ex horum tantum numero, minus recte, ut mihi videtur, dubitat. Ipsa istius muneris (*τοῦ προεισφέρειν*), quod trecentis imponi poterat, natura suadet iam ut eius immunes censerentur omnes, qui triërarchiae essent immunes: atqui Demosthenes pupillus fuit *ἡγεμὼν συμμορίας*. Praeterea, actor apud Demosthenem Phaenippum ideo iure in trecentos vocat, quoniam *χρήσιμος καὶ φιλότιμος καὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ τῷ σώματι γέγονε*, p. 1046. 18: itaque in primis, sicut in triërarchia, *σώματα* requirebantur.

(*) Suo sermone *Vorsteher der Symmorien* appellat.

Fuisse in Symmoriis diversos ordines, pro diverso cuiusque censu, et per se credibile est, et coniicere possumus e notissimo loco Demosthenis pro Coron. p. 260, ubi explicat Orator, quum legem triërarchicam ferre vellet, magnam pecuniam sibi obtulisse τοὺς ἡγεμόνας τῶν συμμοριῶν ἢ τοὺς δευτέρους καὶ τρίτους, ne perferret: quos omnes ditiores intelligendos esse apparet, qui ex Periandri lege in triërarchiae munere συντελείας beneficio uterentur: conf. Catalogus ibid. p. 261. 24. Sed in eo legis capite non attinuisset aetatem triërarchorum definire (ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν εἰς τετταράκοντα), nisi quum alii, tum pupilli quoque in illis Symmoriis fuissent, qui οὐσίᾳ tantum, non σώματι possent λειτουργεῖν. Easdem Periandri συντελείας in triërarchia significari suspicor a Demosthene in Mid. p. 564. 27, quamquam istic oratorie magis quam diligenter dicit, ὅτε πρῶτον μὲν τοὺς διακοσίους καὶ χιλίους πεποιήκατε συντελεῖς ὑμεῖς· (in quibus quum art. τοὺς necessario inserendus esset, apparet ita unius tantum generis fuisse illas Symmorias.) Eodemque referri poterunt haec Isaei verba Apollod. hered. § 38 (quae oratio scripta videtur Schoemanno Ol. CVI. 3 aut 4. itaque quatuor annis post latam Periandri legem), τριηραρχῶν τὸν πάντα χρόνον διετέλεσεν, οὐκ ἐκ

συμμορίας τὴν ναῦν ποιησάμενος, ὥσπερ οἱ νῦν, ἀλλ' ἐκ τῶν αὐτοῦ δαπανῶν κτέ.

Sed trecenti illi si, ut credibile est, per Strategos designari soliti fuerunt, eosdem fuisse necesse est τοὺς προεισφέροντας (vel ἐν πρώτοις εἰσφέροντας, ut dicitur apud Isaeum), non tamen eosdem ἐπιμελητὰς συμμοριῶν puto, id quod Boeckhio videtur, qui istos ἐπιμελητὰς tam in εἰσφορᾷ quam in triërarchia valuisse contendit. De προεισφορᾷ agit p. 691: sed locum Demosthenis, Polycl. p. 1208. 26, minus recte interpretatur. Neque enim hoc dicit Orator, indicari eos, quos tam pro demotis suis quam pro extraneis, qui in illo demo fundos haberent, προεισφέρειν oporteret: sed, ut Senatus, opera Demarchorum in singulis Demis usus, designaret eos demotas et extraneos possessores, qui pro demotis reliquis προεισφέρειν deberent. Recte quidem animadvertit Boeckhius, minime ex hoc exemplo consequi in Symmoriis Tribuum rationem habitam esse: hoc tamen non est ei concedendum, nonnumquam fundorum tributa per Demos soluta esse, id quod apte conspiraret cum reliqua eius tributi disciplina (*). Apparet Ari-

(*) Verba eius sunt: *dass bisweilen das Grunteigenthum nach den Gauen versteuert wurde, welche mit der übrigen Einrichtung der Schatzung nicht unverträglich ist.*

stophontis psephisma hoc voluisse, primum ut triërarchi (qui iam designati ante erant,) quantocyus triremes compararent, tum ut εἰσφορὰ exigeretur ad definitam summam pecuniae, sed, quum in illa summa trepidatione nullae morae tolerari possent, ideoque trecentorum ratio non esset habenda, (qui apud Strategos ἀντιδόσεως iudicium experiri multasque ambages usurpare poterant,) ut statim ex indicio Demarchorum ditissimi quique pecuniam, qua opus esset, praependerent (concedatur novum verbum, ne perpetuo Graeco προεισφέρειν utamur:) ditissimi autem intelligebantur, quorum in Demis φανερὰ esset οὐσία, i. e. fundis ac praediis constans: hoc igitur de singulis non Senatus, sed Demarchi, in suo quisque Demo, indicare poterant, qui e mille ducentis, quibus tabulae Symmoriarum constabant, quorumque nomina (quibus, ut solebat, singulis Demi indicium additum erat) per Senatum cognoverant, indicabant tum δημότας, tum ἐγκεκτημένους, id est eos, qui praedia possiderent, sive essent eiusdem Demi, sive ex alio. Quod autem dicitur ibidem ὑπὲρ τῶν δημοτῶν προεισφέρειν, non ita intelligendum esse suspicor, quasi cuique Demo certa pars tributi imposita fuisset, multoque minus ex illo exemplo conficiendum tributum ipsum fundis fuisse ad-

strictum: sed, quum ante ex censu, in Symmoriarum tabulis, constaret, quantum quisque pro rata portione conferre deberet, istam προεισφορὰν sic ordinaverunt, ut de ditioribus singuli ea tantum simul praestarent, quae ab universis Symmoritis ex eodem Demo deberentur: neque ipsi fundi tributarii erant, sed eos qui possidebant, quum nihil praeter censum ex Symmoria deberent in εἰσφορᾷ, in eiusmodi reipublicae temporibus et aerarii angustiis, id praependere oportebat, quod postea a reliquis iure repeterent.

Alio loco Boeckhius, p. 690, commemorat *diagramma Symmoriarum*, et διαγραφεῖς, et ἐπιγραφεῖς. In his explicandis apparet quam lubrica sit Lexicographorum disciplina. Lex. Seguer. p. 236. 9. διάγραμμα explicatur, τὸ συντίμημα τῆς οὐσίας, ἐν ᾧ ἐνεγέγραπτο τί ἕκαστος ἔχει. ὁμοίως δὲ καὶ ἡ γραφὴ τῶν τις ὤφειλε δημοσίῳ σκευῶν τριηρικῶν τῇ πόλει διάγραμμα ἐκαλεῖτο. Horum postremum ad triërarchicum negotium pertinet: conf. Demosth. Symmor. p. 183. 20. Energ. et Mnesib. p. 1150. 5: prius coniunctum est cum εἰσφοραῖς, unde Harpocration in v. explicat τὸ ταττόμενον ἐν ταῖς συμμορίαις ὅσον ἕκαστον ἄνδρα εἰσφέρειν δεῖ. Tum ratio suadet, ut hoc per διαγραφεῖς factum fuerit: sed quum idem munus τοῖς ἡγεμόσι τῶν συμμοριῶν tribuit

Boeckhius, p. 212, gravissime errat: neque enim idem negotium duplici magistratu indigebat, nec Demosthenes pupillus (qui tum fuit Symmoriae ἡγεμών) illo munere fungi potuit. Quod autem nusquam traditur, id ex collatione aliarum rerum probabile fit; quum publicorum redituum rationes et cura penes Senatum essent, huic quoque collegio istos διαγραφεῖς tradidisse διάγραμμα, ita ut Senatus quoque auctoritate singulae εἰσφοραὶ exigerentur (*).

Duas deinde ἀπορίας proponit Boeckhius p. 692. Harum altera est, quare in definiendo censu fundamentum computandi ponatur in 2500 drachmis: quam ita solvi posse putat, ut hic infimus modus facultatum fuisse existimetur, quarum nomine εἰσφορὰ exigi posset. Non facile admitto hanc suspicionem. Ex ipso quidem, quem indicat, Demosthenis loco, Aphob. I. p. 833. 24., conficiendum erat, quae existimarentur οὐσίαι

(*) Suspicor magistratus illos designari apud Demosth. Androtion. p. 608. 2., ubi appellat κληρωτὴν ἀρχήν. Hos autem fuisse ἐκλογεῖς, sicuti pronunciat Boeckh. p. 212. et Funkhaenel. Proleg. Androt. p. 13, neque certe ex Harpocratione in v., neque e Lex. Segu. p. 190. 26. confici potest: neque ea, quae per εἰσφορὰν pendebantur, erant ὀφειλόμενα τῷ δημοσίῳ. Neque, quamquam ἀποστολεῖς suo nomine appellans Demosthenes Polycl. p. 1209. 10, alteros ἐκλογεῖς, sed τὰ στρατιωτικὰ εἰσπράττοντας appellat.

λειτουργοῦσαι, censeri solitas fuisse tribus minimum talentis, istoque loco λειτουργεῖν minime ad gravius triërarchiae onus revocandum est. Altera dubitatio est, de eo quod Demosthenes in Olynthiacis bis dicit, nihil reliquum esse nisi πάντας εἰσφέρειν, quum tamen hoc munus non nisi locupletiorum esset: et explicari posse putat ita, ut in Symmoriis τῶν εἰσφερόντων idem abusus συντελειῶν valuerit, qui in triërarchiis, istoque onere ditiores minime omnium premerentur. Non tamen haec est Oratoris sententia. Illis temporibus, quo uno restitui res posset, nempe si τὰ θεωρικὰ fierent στρατιωτικά, hoc, legis quippe sanctione impeditus, diserte commendare non audet: itaque, si malint illam pecuniam εἰς τὰς ἑορτὰς λαμβάνειν, dicit manifesto reliquum esse πάντας εἰσφέρειν, ἀφ' ὧν ἕκαστος ἔχει τὸ ἴσον, eoque terriculamento utitur, si forte Athenienses ita commoveantur perniciosam illam sanctionem tollere.

§ 5.

De inquilinorum εἰσφορᾷ.

De inquilinorum liturgiis disputat Boeckhius p. 693 sqq. In cuius Capitis principio statim offendor prava interpretatione loci Demosthenici

Leptin. p. 469. 5. Conficit enim inde liturgias et εἰσφορὰν a civibus ex iis tantum bonis pendi oportuisse, quae in Attica possiderent, si ipsi alio in loco habitandi sedes haberent. Sed non agitur de tributo e bonis quibuscumque exigendo: hoc dicitur ab Oratore, si Leuconi (Bospori tyranno, et δημοποιητῷ) ἀτέλεια ademta esset, posse hunc per ἀντίδοσιν oblatam ad liturgiam vocari, siquidem, qui ita eum aggrederetur, manum iniiceret ei pecuniae eius, quae Athenis esset: ita Leuconis χρήματα, quae istic praesto essent, praesidium futurum erat τῷ ἀντιδιδόντι, non item fundamentum aut modus cuiusvis liturgiae. Sed multo prudentius fuisset ab isto Leuconis exemplo abstinere, in quo certe de εἰσφορᾷ cogitari non poterat. Recte enim Boeckhius p. 694. not. b. novam hac de re dubitationem (in priore edit. neglectam) subiicit, existimatque extraneos, quibus honoris tantum causa civitas tributa esset, neque triërarchiae neque εἰςφορᾷ adstringi potuisse: nollem addidisset, fieri potuisse ratione habita praediorum, quae in Attica haberent. Nam, etiam si extraneis ἔγκτησις data esset, tamen omnium onerum ἀτέλειαν Athenis eodem modo iis concessam fuisse suspicor, quo Byzantii et Perinthii hoc Atheniensibus concesserant: conf. Demosth. Pro Coron.

p. 256. 10. Pasionis diversa causa erat, qui non ex extraneo, sed ex servo manumisso civis factus erat.

Progressus ad μετοίκους aliquanto cautius quam hic, pronunciaverat Boeckhius de Sidoniorum exemplo ad illam Inscriptionem C. I. n°. 87. Erant enim isti Sidone πολιτευόμενοι, nec nisi Athenis ἐπιδημοῦντες (non μετοικοῦντες) κατ' ἐμπορίαν. (Conf. Harpocration v. μετοίκιον, init.) Sed universe inquilinorum εἰσφορὰς descriptas fuisse pro modo earum opum, quas in Attica haberent, hoc quidem Boeckhio affirmanti non concedendum puto. Inquilinorum enim nulla alia nisi ἀφανὴς οὐσία esse poterat, adeo ut quid aut quantum domi possiderent, coniectura assequi, sed definire nemo posset.

Inquilinorum quoque peculiares fuisse Symmorias, conficitur ex Hyperide apud Pollucem VIII. 144. (τὸ παρ' Ὑπερίδῃ μετοικικῆς συμμορίας ταμίας). Est tamen quod dubitare liceat, utrum verbis his illa doctrina bene defendatur. Quid enim, quaeso, Symmoriis, quibus εἰσφορὰ imponatur, cum quaestore? quum nulla pecunia servanda, neque successoribus tradenda esset rationibus redditis. De istis inquilinorum Symmoriis nusquam apud veteres mentio ulla prostat. Et non facile mihi persuaderi patiar, quae distri-

butio valuerit in civibus Atheniensibus, eandem obtinuisse in inquilinis, i. e. ξένοις. Credibilius esse suspicor, universis inquilinis, populi decreto, εἰσφορὰν imponi solitam fuisse, cuius quantum quisque collaturus esset, per ἐπιγραφεῖς describeretur. Quandoquidem φανερὰν οὐσίαν non habebant, deerat id, cuius ratione maxime usi esse videntur Strategi in conficiendo Symmoriarum Atticarum catalogo: et, quantum conficere licet ex Isocrate Trapezit. § 41. Bekk., ipsi ἐπιγραφεῖς ista aestimatione fungebantur, quotiescunque imperata inquilinis εἰσφορὰ esset universis (εἰσφορᾶς ἡμῖν προσταχθείσης καὶ ἑτέρων ἐπιγραφῶν γενομένων.)

Quaeritur autem quantum inquilinos conferre oporteret, opportunitate loci Demosthenici Androt. p. 612. init. (τὸ ἕκτον μέρος εἰσφέρειν μετὰ τῶν μετοίκων). Boeckhius p. 696 sq., ab aliorum interpretatione discedens, putat inquilinos singulos sextam fortunarum suarum partem in Symmoria profiteri debuisse, (quemadmodum quintam partem ditissimos in urbanis Symmoriis) unde istud tributum exigeretur. Quod huic doctrinae adversatur primum illud ipsum est, quod modo non sine causa suspicabamur, non per Symmorias inquilinos descriptos fuisse, in quibus singuli, suum quoddam τίμημα secuti, εἰσφορὰν

profiterentur, sed ἐπιγραφὰς fieri solitas esse per ἐπιγραφεῖς, quos ipsi creavissent, qui non e tabulis, sed pro libidine singulis imperarent: igitur, ubi nulla census professio esset, nullam quoque eius partem lege designari potuisse. Praeterea ipsa loquendi forma (τὸ ἕκτον μέρος εἰσφέρειν) respuit illam interpretationem, in ea re, in qua definiendum erat quantum quemque κατ' ἀναλογίαν conferre oporteret, i. e. ἀφ' ὧν ἕκαστος ἔχει τὸ ἴσον (Olynth. II. p. 27. 8.). Nec dicendum erat μετὰ τῶν μετοίκων, sed ὅσονπερ οἱ μέτοικοι. Postremum illud mihi confirmare videtur suspicionem, universis inquilinis, non singulis, εἰσφορὰν imperari solitam fuisse, eamque fuisse sextam partem totius εἰσφορᾶς, quae quoque tempore εἰς τὸν πόλεμον καὶ τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως decerneretur. Sed, dicat quis, quum necessario inquilinorum conditio civium conditione deterior fuerit, et utrorumque numerus ita fuisse statuatur (vid. Boeckh. p. 54), ut altero tanto maior fuerit civium numerus, quam inquilinorum, hi, si universi sextam tantum partem contulerunt, cives autem quinque partes, contra obtinuit quam aequum erat. Aliquid diceretur, nisi primum credibile esset inquilinorum conditionem plerumque tenuem fuisse (unde ταλαίπωροι in Androtionea vocantur), quique ex

iis opes acquivissent, ἰσοτελεῖς fieri solitos esse, alios etiam, ut Pasionem, δημοποιήτους, qui autem in suo aere essent, hos facillime potuisse πενίαν προφασίζεσθαι (Lysias Dardan. p. 720).

Utcumque sit, Hyperidis μετοικικὴν συμμορίαν expedire non possum, nisi ista appellatione complexus omnium inquilinorum intelligatur, quorum esset συντελεῖν ad conficiendum istud ἕκτον μέρος· prorsus autem ignoro qualis intelligendus iste ταμίας eorum, quorum nulla peculiaris administratio in Athenarum civitate cogitari potest.

Reliquam disputationem, inde a p. 699, tribuit Boeckhius trïerarchiae legibus et institutis, eumque locum gravem sane multisque partibus obscurum admirabili sagacitate explorat atque aperit, plura etiam persecutus in III° volumine, De monumentis rei nauticae. Sed nimis diu fortasse videbimur haesisse in εἰσφοραῖς, de quibus quae meae sint a viro praestantissimo discrepantes opiniones, has sic contrahere licebit. Ignoraverunt Athenienses eiusmodi institutum, ex quo omnium civium fortunarum modus ex certa aestimatione in publicas quasdam tabulas referretur: τὸ τῆς χώρας τίμημα fuit aestimatio coniectura definita earum facultatum, quae, exhausto praesertim aerarii thesauro, paratae esse censerentur in universorum civium οὐσίαις: singulo-

rum τιμήματα non erant partis bonorum, sed universorum aestimationes: Symmoriarum unum genus fuit, non duplex, ut diversae fuerint triërarchicae ab illis τῶν εἰσφερόντων: postremo neque inquilinorum Symmoriae fuerunt, neque singuli ex iis, quae possiderent, sextam partem in censum conferre debebant. In his omnibus vel demonstrandis vel edisserendis fieri potest ut nonnullis minus satisfecerim; sed operam dedi ut in singulis rationem haberem quum rite interpretandorum veterum monumentorum, tum intelligendae eius disciplinae, quam Athenienses in illa populari rei publicae forma secuti essent.

IV.

Emendantur Ciceronis Orationes Verrinae Actionis Secundae.

Ad Verrinarum diligentissimam considerationem primum excitavit me nobilis illa Madvigii Epistola Critica, de qua ante viginti annos retuli in Bibliotheca Critica Nova. Postea demum cognovi praestantissimam Zumptii editionem, tum eam, quam Orellius peculiaribus voluminibus editis operam posuerat in duabus extremis Orationibus. Sed Orellius, cui tradideram collationem accuratissimam excellentis Codicis Perizoniani, quem in illa censura descripseram, non ita, ut par erat, hoc praesidio usus est, consilio, nescio, an illo properandi studio quo in suo edendi instituto usus esse videtur, quo

citius auditorum suorum commodis prospiceret. Aliquanto post idem Madvigius, cognita Zumptii editione, spicas legit, ut ipse appellat, et emendationis supplementa contulit, in Dissertatione Critica, quae inserta est Vol. I. Opusculorum Academicorum p. 323 sqq. Haud dissimile meum nunc est consilium, tum ut explicarem quid minus mihi conveniret cum praestantissimis illis criticis, tum ut meas dubitationes alias proponerem. Qua in re minime infructuosam considerandi opportunitatem praebuit mihi iterata Codicis Perizoniani collatio, sed ita, ut liberum maneret atque integrum iudicium, servaremque meam rationem, magisque attenderem quale esset quod afferretur, quam unde quidque emergeret, neque conturbarer lubrica sane cuiusque auctoritatis diiudicatione, in qua ipsa etiam ratio, id est sana interpretatio, dominetur necesse est, si quid, quod operae pretium et firmum sit, inde oriturum sit.

Ac tanto libentius in Verrinis haerebam, quod, quum omnes actiones suas, quas quidem edere vellet, studiose elucubraret Cicero, tum has in primis perfectas relinquere voluit, quas non amplius causae obtinendae destinaret, sed tamquam elaboratum splendidumque artificis opus aequalibus suis exhibere cuperet. Igitur ipse postea

saepe haec bene dicendi monumenta commendabat, eodemque pertinet, quod ad Brutum scripsit De Claris Oratoribus 92, 318, quum e Sicilia se recepisset, tum sibi visum esse suam dicendi facultatem perfectam esse et habere maturitatem quandam suam. Nec fuisse illa aetate quemquam causarum patronum suspicor, qui tantopere id, quod dicendo posset, stilo augere conaretur. Quo factum est, ut, qui studiose illa volumina verset, singulaque persequatur, excellentem illam orationis facultatem ac virtutem non per transennam aspiciat, sed singulis membris articulisque deprehensam teneat, tantoque certius, quamcumque ea aliorum negligentia labem contraxerit, eluere possit. Sed ne latius divagemur, singula expromamus, nunc quidem initio facto a libro I Actionis Secundae.

Lib. I.

1, 3. *Neque enim hoc a vobis populus Romanus exspectat, neque eo potest esse contentus, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit*, cet. Abest sane *enim* in melioribus libris; sed tamen dubitare licet, an tuto, ut inquit Zumptius, abiici possit. Non certe ideo omittendum, quod alterum *neque* sequatur; id quod tum valeret, si disiungerentur ista (*neque* — *neque*),

nec potius ita coniungerentur, ut posteriori prius explicaretur: in qua cumulatione, si initio sententiae negatio ponatur, alteram item partem negationem adsciscere, constat: conf. Madvig. tum alibi, tum Epist. Crit. p 66. Et *enim* ideo postulatur, quoniam, quae subiiciuntur, non novam continent sententiam, sed rationem explicant eorum, quae modo dicta erant.

5, 13. ***De iure enim civitatis et libertatis, suum putat esse iudicium, et recte putat.*** Quum Zumptius, alios libros secutus, ***ratione putat*** edidisset, bene reprehendit eum Madvig. Opusc. Acad. I. p. 333. not. Sed non tam videtur mendum scripturae esse, quam prava, nescio cuius, compendii explicatio; si quidem crebro ista in Codd. permutantur, sicut infra III, 1, 2. ubi olim διττογραφία adeo servabatur, ***ratione recte*** : et 88, 206.

5, 14. ***audietur — L. Flavius, qui suum familiarem Herennium, negotiatorem ex Africa, cum eum Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent lacrimantesque defenderent, pro testimonio dixit securi esse percussum.*** Supra, p. 73, dixi διττογραφίαν, ***cum eum***, non recte a Zumptio sublatam esse; qui *eum* abiecit, quod in bonis Codd. non legeretur, et facile subintelligi posset. Sed accusativum omitti non posse contendo; potiusque *cum* mutandum in *quem*.

9, 26. *Adimo enim comperendinatum — quod habet lex in se molestissimum, bis ut causa dicatur, quod aut mea causa potius est constitutum, quam tua, aut nihilo tua potius, quam mea.* In huius loci compositioue offenderat Ernestus, qui alterum *quod* in *id* mutavit de coniectura, indeque novam sententiam ordiebatur: quem refutat Zumptius, qui, ut vere dicam, non sustulit ea, quae offensioni esse possint. Non disputabo de legibus ipsis, quas erudite explicat Orellius in Indice Legum p. 121. seqq. Sed probari nullo modo potest *habet lex in se molestissimum.* Quando recte dicatur *habere in se*, pro simpl. *habere*, indicavi, nisi fallor, ad Cic. Legg. I, 17, 46. p. 411: quae si vera sunt, ab hoc argumento quidem ea locutio aliena est. Sanior, puto, exibit sententia, hoc modo si corrigimus: *quid habet lex nisi molestissimum —*: apparet enim hoc demonstrare velle Ciceronem, id, quod adversarius postularet, ut comperendinatio servaretur in hoc iudicio, actori potius quam reo commodum esse, itaque, ademto comperendinatu, minime in deteriori conditione esse Verrem.

12, 33. *patiatur eius vita reliqua me hanc tantam iacturam criminum facere.* Nescio quam orationis concinnitatem intelligat Zumptius, propter quam repudiat Schutzii correctionem, *pati-*

tur, vel *patietur*. Loquitur orator de *vita reliqua* tamquam de persona, quae aegre ferre posset, si omnia in se crimina conferantur, itaque altera persona (*adolescentia*) excusari et absolvi videatur. Hoc eleganter enunciat: concedat mihi hoc vita eius reliqua.

12, 34. *Non* excidisse videri ante *statuere*, dixi Bibl. Crit. N. V. 1. p. 55; melius tamen, *non debuisse.* — Sed 14, 37, ubi est *Quaestor quum L. Scipioni consuli obtigisset*, initio excidit *qui.*

15, 40. *tu, quum quaestor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniae, sed etiam consulis, particeps omnium rerum consiliorumque fueris, — repente relinquas?* Delendum est *sis*, post *missus:* non enim *quaestorem* eum *missum esse* aegre fert, sed quod, quum *omnium rerum particeps fuisset*, consulem reliquisset.

15, 41. *Ille, miser quum esset, Cn. Dolabella* — Non commemorarem rectissimum Madvigii (Opusc. I. p. 343.) iudicium, de prave interposito nomine proprio, nisi idem pronunciandum contenderem in Archiana 9, 20: *itaque ille Marius item:* leg. *itaque ille idem.* Sed hoc quoque fugit editores, infra 20, 54, in verbis *ex ipsa Diana*, abiiciendum esse nomen proprium, siquidem *ipsa* per se opponitur *Dianae fano:* qua

observatione nunc uti licet, ut locum infra II, 65, 159, simili additamento liberemus, legamusque, *quem ipsum cuperent evertere, eius effigiem simulacrumque servare.* Huiusmodi interpolationum complura exempla per Verrinas indicavit Madvigius p. 341. sqq.: et restant multo plura. Veluti statim 24, 63, abiiciendum *Lampsaceni*, post *homines autem ipsi:* idemque non dubito quin editores addituri fuerint § 69 post *recepissent*, nisi ex uno tantum Guelf. 1. cognitum esset. Et, ne immoderatius digrediar, sed intra hanc unam urbem me contineam, ecce, in fin. § 63, editur *quamobrem ipse Lampsaci diutius commoraretur:* sed ex libris affertur *iste*, unde efficiendum *istic*, deleto *Lampsaci: ipse* sic diceretur, tamquam si comites ibi mansuri essent, ipso profecto.

37, 94. *Quid exspectas? an dum ab inferis ipse Malleolus exsistat —?* Quum paullo ante eodem nomine pupillus, tum mater eius atque avia commemorati sint, nunc, ut apparet, pater mortuus intelligendus, id quod solo pronom. *ipse* declaratur, abiiciendumque *Malleolus:* conf. quod modo de loco 20, 54. diximus.

38, 95. Modo dixerat, non necesse esse verbis demonstrare, quo modo Verres, pro quaestore Dolabellae quum esset, illas regiones, frumenti aestimatione, afflixisset. Sequitur: *hoc sci-*

tote: his nominibus, quae res per eum gestae sunt, quum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, proque his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellae HS ad tricies litem esse aestimatam. Quae omnia, etiamsi voluntate Dolabellae fiebant, per istum tamen omnia gerebantur. Nemo admonitus dubitabit, opinor, quin intolerandis repetitionibus hic locus laboret. Initio, *his nominibus* scribere non potuit, quoniam nondum ista enumerata erant, quo pronom. (*haec*) referretur. Tum, perperam *his nominibus, quae res* nectuntur, et, si disiunguntur, nullae dum *res* memoratae erant: ipsumque hoc, ista per Verrem gesta esse, mox suo loco dicitur. Neque hoc probandum in Zumptio, quod *eum* appellari Verrem putat, quamquam statim post *iste* dicatur. Valere hoc potest aliis locis, certa de causa: non tamen in iis, quae paullo post (§ 97) dicuntur, *volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit:* ubi *eius*, i. e. Dolabellae. Nihil relinquitur, nisi ut ista priora, *his nominibus — gestae sunt* omnia abiiciamus.

45, 117. *Quid nunc dicam? Neminem umquam hoc postea alium edixisse? Valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet.* Primum, sublato interrogandi signo

post *dicam*, ista una interrogatione complectenda sunt. Potuit sane scribere, ut infra 48, 119. Milon. 7, 18: *quid illa ego commemorò?* et ibid. 16, 44: *sed quid ego argumentor? quid plura disputo?* Sed *dicendi* verbum requirit obiectum: et illa forma firmatur exemplis. Tum, non *valde sit mirum* (al. *est*), (in quo perperam Garatonius ironiam agnoscebat), sed *valde scilicet mirum*, nisi fallor, intelligentes mecum requirent. — Sequitur: *Ipse in Siciliensi edicto hoc non habet: exegerat enim iam mercedem: item ut illo edicto, de quo ante dixi, in Sicilia de hereditatum possessionibus dandis edixit idem, quod omnes Romae, praeter istum.* Statim molestum est iteratum *edicto* (*ut illo edicto*); neque assentior Hotomano, qui intelligebat »edictum de mulierum hereditatibus:" erat hoc *caput* edicti, sicut mox § 118. *in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc* (*capite*) *de hereditatum possessionibus.* Corrigendum erit, *igitur ut illo capite.*

51, 136. *apud quem non ius, non aequitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici voluntas, non cuiusquam auctoritas pro pretio, non gratia valeret.* Dudum in his, sicut oportebat, correxerat Lambinus *prae pretio.* Auctores reclamant, inquit Zumptius: itaque al-

terum servavit? Istam ego religionem contemno, quae sanam et manifestam rationem pessumdet. Conf. infra II, 16, 40. 40, 97. 64, 156. III, 55, 128: ut mirer a Madvigio adeo neglectam esse necessariam Huldrici correctionem in Milon. 2, 3. fin., quam ipse Orellius commendavit sero, ad Epp. ad Div. XIV, 4, 2. Nihilominus reticendum non est, istud *prae pretio* mire sic interponi. Minus offenderet, si legeretur, — *auctoritas, non preces, non gratia.* Sed nihil commendo.

54, 140. *negat eum sibi illa decisione satisfacere posse.* In hoc verborum ordine *sibi* referendum ad Rabonium, quod concedi non potest, et transponendo, *sibi eum* corrigatur: nisi fortasse praestat, ut *eum* interpolatum esse dicamus, quum pro *illam decisionem* perperam ablativi scripti essent.

56, 146. *Quibus de bonis? eius, qui — clamavit. Quibus de bonis? pupilli —.* Genitivi, per quos respondetur, manifesto indicant utrobique corrigendum esse *cuius de bonis?*

58, 152. *venit in iudicium, si nihil aliud, saltem ut eum, cuius opera ipse multos annos est in sordibus, paulo tamen obsoletius vestitum videret.* Primum sententiae forma postulat *esset*, pro *est.* Tum recipiendum id, quod Ursini Cod. praebet, *aliquando tamen*, quo oppo-

sitio indicatur illorum *multorum annorum*. Zumptium, qui *paulo* defendit, non intelligo, quum dicit, Oratorem rem cum arte minuere et ita commiserationem puero efficere. *Vestitus obsoletus*, quo rei utebantur (vid. Hotom. ad h. l.) eiusmodi imminutionem non patitur.

58, 153. *ideo quod — talis improbitas, tamquam aliquod incendium, restinguenda est.* Corrigo, *restinguendum*, quoniam hoc in eadem, cum *incendio*, metaphora dicitur; neque enim per meram appositionem ista nunc iunguntur. Itaque, ut eiusdem metaphorae alio exemplo utamur, recte editur Leg. Manil 5, 11: *Corinthum patres vestri totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt*, prae altera lectione, *extinctam*. Non solent talia certa ratione tractare qui de Grammatica libros edunt; nec ipse Zumptius expedivit in annotatione ad cap. 22, 57.

60, 156. Nihil crebrius deprehenditur in Codd., quam superlativorum formae praeter verum additae. Hoc loco satius erit scribere, *cuius propter indignitatem iudicii saepe est actum in senatu*, non *saepissime:* et solet ita, v. c. Milon. 3, 7. Sic infra II, 36, 89, satis est *inimici*, pro superlativo: ut supra, p. 101. in Tusc. correxi. Infra V, 59, 154. Cod. Leid. falso habet *locupletissimi*. — Modo ante, 59, 154, *exspecta-*

mus scribendum erat, quemadmodum ante *quaerimus*, et *dubitamus*. Sed non ferendum est, quod in extr. editur, *quum de te sententiam ferrent, viderent*. Non hic eadem ratio Coniunctivi est, ut modo in *qui — volueris*, multoque minor Imperfecti. Itaque è Codd. amplector et *ferent*, et *videbunt*.

Lib. II.

2, 5. Agitur de Sicilia, cuius frumento Romanorum annona niteretur. *Itaque ille M. Cato sapiens cellam penariam rei publicae nostrae, nutricem plebis Romanae, Siciliam nominavit.* In paucis verbis plura sunt quae offendunt. Is enim est verborum ordo, tamquam si Catonem dixisse, non quid dixisset, praecipue esset commemorandum. Tum perabsurdum, ex eodem verborum ordine, hoc consequitur, Catonem Siciliae nomen excogitavisse, quod tribueret nutrici plebis Romanae. Ne hoc quidem probandum, quod *M. Catonis Sapientis* nomine praeponitur pron. *ille*; id quod tum demum fit, si explicatio subiicitur, sicut modo 2, 4, *ille ipse M. Marcellus, cuius —*. Pison. 9, 20, *qui C. illi Mario, fortissimo viro, et consuli.* Item 19, 43. Arch. 9, 19: *ipsi illi C. Mario, qui*

durior —: eademque observatione ibid. 9, 20, interpolationis arguitur nomen proprium in his, *ille Marius item*, quo eiecto legendum *ille idem*. Contra licebat, adiectivo praemisso, *magnus ille Alexander*, ibid. 10, 24. Consulamus igitur et sententiae, et Ciceronis consuetudini, legamusque, *itaque illam M. Cato Sapiens*, deleto in fine *Siciliam*.

In iis, quae statim subiiciuntur, *Nos vero experti sumus Italico maximo difficillimoque bello*, istud *Italico* interpolatum est: quod si quis sit qui servandum censeat, non dubito tamen quin mecum idem eiiciat ex Offic. II, 21, 75. fin., ubi ridiculum adeo est, *tantum Italicum bellum*. Recte contra appellari videtur infra V, 15, 39. Similiter Leg. Manil. 3, 7, del. *Mithridatico*. Conf. ibid. 9, 22.

6, 17. *Qui simul atque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim — agitare cum suis coepit*. Nulla, quantum sciam, e Codd. affertur varietas: et tamen Ciceronis consuetudo postulare mihi videtur, ut, expuncto *ei*, initio legatur *cui*. Contra, infra 56, 138. fin. legendum est, *qui si quid commisissent*, pro *quibus*. Solet in ista forma enunciandi relativum, initio positum, proximo verbo accommodari, in postremo autem verbo cogitando suppleri pron. *is*,

eo casu, qui requiritur. Explicuit hoc Madvigius Epist. Crit. p. 106 sq.: nec mirum istum morem crebro in Codd. obliteratum esse.

8, 22. Dictum erat de Naevio Turpione quodam, quem subornaverat Verres, qui Dioni calumniam moveret de hereditate. Sequitur: *hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat.* Zumptius *hunc hominem* Dionem intelligit. Sed perpetuo, vel per contemtum, vel per misericordiam *homo* appellari solet, nullo addito pronomine, sicut infra 13, 33. *edictum hominis cognoscite.* 24, 59. fin. *insimulant hominem;* et ita millies. Sed praeponendum est *per*, ut fiat *per hunc* (Naevium) *hominem* (Dionem) *Veneri absolvit.* Ita 11, 29. *per eos praedabare.* — Modo ante, § 21. non recte interpretabatur Zumptius haec verba, *putabat tamen — causam pecuniae se reperturum*, quum diceret esse, causam pecuniae conficiendae. *Causa* est controversia, (sicut 22, 54. *causa componitur*), quae moveretur *pecuniae* i. e. hereditati.

13, 34. *Siculi videtis edictum: si quid perperam iudicarit senatus.* Non sine causa haeserunt viri docti in prioribus huius loci verbis, quae sane nullo modo explicari possunt. Tollere fortasse videbor obscuritatem, si commendavero corrigendum esse *Siculis.*

21, 50. Aliis sceleribus, quae Syracusis per Theomnastum, aliosque facta essent, enumeratis, in ea serie ponitur hoc: *deinde, ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuterion nomine appellant, honestissimo loco et apud illos clarissimo, ubi illius ipsius Marcelli, qui eum, quem eripere belli ac victoriae lege posset, conservavit ac reddidit, statua ex aere facta est, ibi inauratam istius — ponerent.* Non alio licebit referre pronomina *eum*, *quem*, nisi ad *curiam.* Sed, quis probabit, ut *curiam eripere* potuisse Marcellus dicatur? Suspicor universe Marcelli in urbe conservanda laudes praedicari; ut legendum sit, eiecto *eum*, *qui*, *quae eripere* —

33, 81. *Verum, si de pecunia testibus planum facere non possem, illud negare posses, aut nunc negabis, te — de re iudicata iudicavisse?* Quemadmodum sunt innumerabilia in Zumptii recensione minuta corrigenda, ita h. l. (ne omnia persequar) pro *posses*, leg. *potes.* Mox 34, 82, e verbis *invenietis enim id facinus*, abiiciendum *id.*

34, 83. *Huius* (*Sthenii*) *hospitio Verres quum esset usus, quum apud eum non modo Thermis saepenumero fuisset, sed etiam habitasset, domo eius omnia abstulit* —. Non sane tria haec acute

distinguuntur, *hospitio Sthenii uti*, *esse apud eum*, et *habitare:* tum, *apud eum Thermis* sic iunguntur, tamquam si alio loco praeterea Sthenius excipere Verrem potuisset. E Codd. apparet male habitum esse locum, interpositis, nisi fallor, quae interpretationem fortasse iuvarent, sed locum corrumperent: quibus abiectis, sic credo legendum esse: *huius hospitio Verres quum usus esset, et apud eum, quum Thermis saepenumero fuisset, etiam habitasset, domo eius omnia abstulerat,* — quod postremum ideo requiro, quod paullatim istam expilationem factam esse credibile est.

35, 87. Quod de Stesichoro poëta dicitur, *qui fuit Himerae*, corrigendum sane est *q. f. Himeraeus.* — In eademque §, post verba *homo intelligens*, *Verres* abiiciendum est.

36, 89. *Hi autem erant inimici*, *Agathinus*, *homo nobilis*, *et Dorotheus*, *qui habebat in matrimonio Callidamam*, *Agathini eius filiam*, *de qua iste audierat. Itaque ad generum Agathini migrare maluit.* Ferendum non erat *eius:* tum, *ad generum*, satis erat, facileque carebimus nomine soceri.

38, 92. Quum modo, 37, 90. init. recte scriptum esset, *se nihil habere quod dicerent*, mirum est neminem de Editoribus hoc quoque loco

correxisse, *ut ille, ne sine adversario quidem,— reperire posset, quod diceret.* Sed in eo quoque, quod interponitur, *apud inimicum iudicem*, corrigendum, *iniquum.*

39, 96. *Eo die transigi nihil potuit, quod et id temporis erat, et ille, pater istius, invenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. Postea senex Verres defensores — Sthenii convenit* cet. Non puto cuiquam dubium fore, quin et *pater istius* (qualem explicationem respuit pron. *ille*), et *senex Verres* interpolata sint. — Aliquanto infra, § 97, edendum fuerat, *in Senatu post ea causa non agitur*, non *postea causa.*

51, 127. Zumptius, sicut permulta ex accurata antiquitatis cognitione optime interpretari solet, ita hoc loco ne suspicatus quidem esse videtur quid necessario conficiendum esset. Agitur de Iovis sacerdotio, quod singulis annis sortito tribuebatur: *quum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res revocatur ad sortem.* Nihil se usquam de civium tribus ordinibus legisse meminit. Sed meminisse poterat, talia sacerdotia, in Graeciae civitatibus, haud raro certis gentibus reservari solita fuisse. Institutum fuisse hoc sacerdotium a Timoleonte, parum credibile est, sed potius novam rationem introductam

capiendi eius muneris: et ne hoc quidem diligenter tradit Diodorus XVI, 90, quum dicit αἱρεθῆναι, nulla facta sortitionis mentione.

53, 131. Inserta coni. *quum*, quae in omnibus Codd. omitti videtur, locus sic erit scribendus: *ille enim est magistratus apud Siculos, qui diligentissime mandatur a populo, propter hanc causam, quod, quum omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferant, in censu habendo potestas omnis aestimationis habendae summaeque faciendae censori permittitur.* Ubi narratur, quo modo Verres illud institutum censorum evertisset, dicitur § 132: *nihil sane vafre nec malitiose facere conatus est: sed, ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex hominibus civitatibusque tollerentur, quae res evertendae rei publicae solent esse, ostendit, sese in omnibus civitatibus censores esse facturum.* Sed postulatur *solerent esse*, quippe illo praetextu utebatur Verres: alienissimo loco suam sententiam posuisset Orator.

53, 133. De Timarchidi opera in ea re (cuius ipsum nomen, brevi intervallo, ter interpolatum est: primum hac ipsa § in verbis *Iam hic Timarchides*, in quibus *hic* adverbium est: tum 54, 134. in verbis *hunc Timarchidem:* postremo § 136, in his, *Is igitur, ut dico, Timarchides:*

sicuti infra 70, 171. init. *Carpinatius* delendum est:) sic loquitur: *Is suo labore suisque accessionibus, huius negotii atque operis molestia consequebatur, ut ad istum sine ulla sollicitudine summa pecuniae referretur.* In his et orationis structuram turbari, propter duos ablativos, et sententiam obscurari, nemo fuit quin agnosceret. Sed mira est Zumptii interpretatio, qui priores ablativos »quasi absolutos" intelligi vult: quae si probaretur, hoc efficeretur, ut Timarchides diceretur *negotii molestia consecutus esse, ut —:* id, quod absurdum est, siquidem manifesto *labore et accessionibus* suis hoc obtinuit. Non igitur adeo spernenda est scriptura, quae in vulgaris recensionis Codd. prostat, *molestiam:* et ferri poterit, opinor, haec interpretatio, ut *molestiam negotii consequi* is dicatur, qui praestat, qui recipit.

62, 152. *Atque ut hoc totum facillime intelligi possit, quem voles eorum testium, quos produxero, qui ex Sicilia testes sint, sive togatum, sive Siculum, rogato, et eum, qui tibi inimicissimus esse videbitur.* In his, *et* nihil habet in praecedd. cui respondeat. Corrigendum, *etiam qui tibi —.*

64, 155. *Dices, tibi Siculos esse amicos? Qui poteris? qui, quod nullo in homine antea*

fecerunt, ut in eum publice testimonium dicerent, quum praesertim ex ea provincia condemnati sint complures, qui ibi praetores fuerunt, duo soli absoluti; hi nunc veniunt cum literis, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimoniis publicis, cet. Verba, *ut in eum publ. test. dicerent*, non tantum supervacanea sunt, propterea, quod in fine illud ipsum suo loco et graviter enunciatur, sed etiam tum languida, tum minus bene Latina sunt, siquidem *is* Pronomen referri non oportet ad eiusmodi nomen, quod generali negatione continetur (*in nullo homine*). Dici poterat, *in Verre hoc fecerunt, ut in eum publ. test. dicerent*; aut, sicut 65, 158, *de quo hoc auditum est, ut eius—?* neque confundere oportet locos, qualis est Flacc. 20, 47. init., ubi *ei* non refertur ad praeced. *neminem:* non item illo modo. Sed non tantum haec Grammatici cuiusdam annotatio, sed altera quoque, *qui ibi praetores fuerunt*, abiicienda est, putida interpretatio: sollemne est simplex, *ex provincia condemnari:* conf. Beier. ad fragm. pro Scauro p. 203, a. ad Div. IX, 21, 3. — Sed initio quoque huius capitis 64, corrigendum est *Hic tibi iam multo magis:* postremis duobus si *etiam* adiungitur, constanter interponitur; quo ipso iam vitium arguitur. Conf. 69, 165.

65, 157. Oppugnabor iterum, certo scio omnium Codd. auctoritate. Nihilominus, quicumque locum scienter consideraverit, abiiciet mecum haec verba, *utrum statuas — coacti sint.*

68, 163. *eos omnes (Centuripinos) hoc statuisse, monumentum istius in sua civitate nullum esse oportere.* Modo ante dixerat, *C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere.* Recte: et, si vera sunt, sicuti confido, ea quae breviter significavi Bibl. Crit. Nov. V. 1. p. 19. corrigendum est, *in civitate sua.*

69, 166. *ut — tamen illud dicendum putem, quem omnes mortales oderint, eum vobis quoque odio esse oportere.* Versamur in sermocinatione, quam Orator cum Verre instituit: quumque paulo ante *vestram defensionem* appellavisset, *vobis* necessario erit explicandum, Verris defensoribus. His igitur Verrem odio esse oportebit? Scilicet, quemadmodum et alibi erratum in talibus est, et Divin. Caecil. 16, 54, ex *hos* in Cod. Leid. factum erat *nos*, ita h. l. corrigendum *his*, i. e. iudicibus.

69, 168. *Ergo ab universa provincia, generatimque a singulis eius partibus, non solum diligitur, sed etiam ornatur. Quis hunc attingere audeat?* Priora sic dicuntur, tamquam si hoc obtinendum erat, Verrem ornari a Siculis;

id quod dudum demonstratum erat. Iungenda sic sunt: — *partibus, qui non solum — ornatur, quis hunc* —.

70, 170. De Carpinatio, quo ministro utebatur in transigendis negotiis, dicitur: *hoc erat etiam capitalior* (quam Timarchides), *quod idem pecunias his, qui ab isto aliquid mercabantur, fenori dabat. Ea autem feneratio erat eiusmodi, iudices, ut etiam is quaestus huic cederet.* In Pronominibus suspicor errasse Zumptium; qui primum *his* ediderit, ex melioribus Codd., quum reliqui haberent *iis*, addatque, nullam aliam de his legem constitui posse, nisi ut probatissimos quosque libros sequamur. Ego putabam certam rationem praestare libidini librariorum; igitur *hic* non dici, nisi ubi is, qui intelligatur, iam ante designatus esset: itaque hic edendum esse *iis*. Tum edidit *is quaestus*, eadem auctoritate, spreta aliorum Codd. lectione *hic*, quod Pronom. nunc, propter eam rationem, quam modo attigi, requirebatur. Nec dubitandum, quin *huic* mutandum sit in *isti*.

71, 174. *At quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui severiora iudicia desiderant, arbitrantur res iudicare oportere, publicanorum iudicio; quos videlicet nunc populus iudices poscit*, cet. Sed populus non

publicanos, sed *equites* poscebat. Itaque ineptum et male locatum emblema, *publicanorum iudicio*, abiiciemus.

73, 180. *Quum id quoque constabit, vos iam, me tacito, intelligetis, si illi, qui hoc istius causa decreverunt, equites Romani, nunc iidem in eum iudices essent, istum sine dubio condemnarent, de quo literas eas, quae istius furta indicarent, et ad se missas et suo decreto remotas scirent esse — quem igitur ab iis equitibus Romanis, qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt, condemnari necesse esset: is a vobis, iudices, ulla vi aut ratione absolvi potest.* Laudo Zumptium, quod, qua est peritia orationis Tullianae, ἀνακόλουθον in his agnovit, locumque ab intempestivis Lambini et Ernesti dubitationibus vindicavit. Nec tamen vidit in prioribus, structuram orationis laborare, nulloque modo asyndeton probari posse in his — *iudices essent, condemnarent.* Legendum est, *iudices si essent.* De duplici *si*, in conditionibus quarum posterior a priori pendet, dixi Bibl. Crit. Nov. III. p. 68. et Schol. Hypomn. II. p. 65. Praeterea emblemata, *equites Romani*, et *equitibus Romanis*, omittenda fuerant.

Lib. III.

1, 3. Dixerat ab initio, magnum in omnem vitam negotium suscipere eos, qui alterum rei publicae causa in ius vocarent: et excitaverat L. Crassi exemplum, qui, quum adolescens Carbonem accusavisset, vitam suam hac cura contineri dicere soleret, quam sibi, nondum confirmato consilio, sed ineunte aetate suscepisset. Tum haec subiiciuntur: *quo minus etiam praecipitur eorum virtus et integritas, qui ad hanc rem adolescentuli, quam qui iam firmata aetate descendunt.* In his, *praecipitur* recte explicatur a Zumptio: sed vellem explicuisset recte progredi argumentationem, quae mihi quidem nulla esse videtur. Quorsum enim istud *quo minus*? quod dici solet tum, quum aliquid ex superioribus concluditur, et relativum *quo* est pro recto *eo*, *ideo*. Sed manifestum est hoc velle Oratorem, ut eiusmodi curam, qua Crassus continebatur, elevet, maioremque fore ostendat in eo, qui idem institutum matura aetate sequatur. Hinc in promtu est, pro *quo*, legendum esse *quamquam*. Sed ne *etiam* quidem ferendum est: quoniam nunc *minus etiam* sic dicitur, tamquam si eorum, qui iam firmata aetate ad accusandum descenderent, vix integritas percipi

posset. Mutandumne est in *certo?* non definiam: sed vulgatum tueri se non posse contendo.

2, 5. *Ego in isto reo legem hanc mihi, iudices, statuo* cet. Facit conclusionem: itaque scripsit *Ergo in isto reo*, i. e. hinc consequitur me, quum istum reum faciam, hanc mihi legem statuere.

4, 7. Inde a § 6. sermocinationem instituerat cum Hortensio; in qua ita pergit: *Quid? illa, quae leviora videntur esse, non cuiusvis animum possunt movere? quod ad tuam ipsius amicitiam ceterorumque hominum magnorum atque nobilium faciliorem aditum istius habet nequitia et audacia, quam cuiusquam nostrum virtus et integritas? Odistis hominum novorum industriam; despicitis eorum frugalitatem; pudorem contemnitis, ingenium vero et virtutem depressam extinctamque cupitis: Verrem amatis. Ita credo* cet. In his primum Hortensius eiusque familiares perperam *homines magni* dicuntur, qui sollemni appellatione *beatorum* a Cicerone significantur, conf. IV, 57, 126. Sed praeterea, non perspexisse suspicor Editores totius loci consilium, quantum iudicare licet ex interpunctione qua utuntur. Accusatio istorum continetur omnibus illis, usque ad *extinctamque cupitis*. Quapropter, restituto eo, quod

propter literarum similitudinem excidit, legendum est — *virtus et integritas, quod odistis hominum n.* cet. Sequitur, quod tamquam in excusatione istorum ponebatur, sed, quod Orellius fecerat, maxima distinctione a superioribus divellendum, *Verrem amatis.*

6, 14. *ut ibidem, in Sicilia,* satis diu hoc postremum, interpretamentum stupidum, locum obtinuit: abiiciatur.

17, 44. *Ille vero tum se minime Metellum fore putasset, si te ulla in re imitatus esset.* Iniuria Zumptius *fore* omittendum censebat: neque agnovit, ex *putabit,* quod praebet Lagom. 42., efficiendum esse *putabat*, pro vitioso *putasset.* Postremo, ne illud quidem recte dicitur, *minime Metellum.* Abiecta syllaba, quae per errorem iterata est, legendum *minus Metellum.* Ita in Paradox III, 1. *nihil huic addi potest, quo magis virtus sit.*

18, 47. *Herbitensis ager — ita relictus erat ex maxima parte, ut non solum iugerum, sed etiam dominorum multitudinem quaereremus.* Necesse visum est Zumptio explicare, nec iniuria, quid esset illud, *iugerum multitudo.* »Explica, inquit, cultorum, nam quae inculta iacebant, agri non videbantur." Non accipio; siquidem *iugera* de mensura, non de agris ipsis dicitur.

Corrigo *iugarum*, conferrique iubeo infra 51, 120. sq. Diversissimum est, *numerum iugerum profiteri*, 21, 53.

19, 49. *ita audistis, ut auctorem rumorem haberetis, sermonemque omnium.* De *rumore* notavi Vol. I. p. 117. Sed nollem Zumptius tam addictus Codd. suis fuisset, ut *hominum* recipere dubitaret, pro *omnium*.

21, 53. *Fecit ut decumanus Nymphonem negaret ex edicto praeclaro, quod ad nullam aliam rem, nisi ad huiusmodi quaestus pertinebat, numerum iugerum professum esse.* Quaero, quis *fecerit?* Verres intelligi non potest, cuius erat hoc tantum, iudicium ut daret, sicut 22, 55: et si posset intelligi, necesse erat ut in antecedd. appellatus fuisset. Nihil ex Codd. affertur, nisi *vocaret*, aut *necaret*, pro *negaret*, et *non* insertum ante *esse*. Incurram, certo scio, in licentiae crimen; sed corrigam *Hunc decumanus negarat* —. Pronomen obliteratum postulavit additum *Nymphonem*, et, verbi modo corrupto, orta est part. *ut*.

27, 66. Quum multas iniurias explicuisset, quibus singuli per decumanos afflicti essent, sic pergit. *Privatim hoc modo: quid publice? civitates tractatae quemadmodum sunt?* In quibus reiicit Zumptius distinctionem, quam alii

servabant, *quid? publice civitates.* Sed quaero, quid est *privatim*, quid *publice tractare?* quo modo ista in Verre diversa erant? qui tamen omnia pro imperio agebat. Scilicet non eiusmodi discrimen cogitavit orator, sed eorum, qui iniurias paterentur, duo genera inter se opponere voluit. *privatos* (de quibus hucusque egerat) et *civitates.* Eiecto igitur adv. *publice*, legamus, *privati hoc modo: quid? civitates —.* Melius illa adverbia usurpantur IV, 8, 17. 49, 107. 61, 137. V. 49, 128. neque obstat IV, 9, 20.

28, 69. *Quaerebant, quae in verba recuperatores daret. Respondebat, si paret, adversus edictum fecisse, quam rem in iudicio dicturum esse dicebat.* Sic locum de coniectura edidit Zumptius, quum in libris et Vett. Editt. esset vel *quae se*, vel *quare se*, vel *qua in re.* Sed ex postremo hoc efficiendum erat, *quam in rem*, nempe, iudicium daret. Perverso enim more, quemadmodum in edicto urbano saepe hominis causam complectebatur (I, 43, 110. 45, 116), in provincia quoque rem ipsam ita definiebat, ut quos contra vellet iudicibus esset pronunciandum (II. 12, 31.) Quum igitur respondisset *quae in verba recuperatores daret*, nihilque dixisset praeter illud generale, *si paret, adversus edictum fecisse;* tum quaerebant, *quam in rem?* i. e.

quibus verbis causam complecteretur. Respondit: *iudicio dicturum se dicebat:* malo enim *se* servare, quam probare Zumptium, qui propterea omisit, quod, contra rei veritatem ad praetorem referretur.

Minutiora haec sunt: 41, 94. *quemcumque equitem Romanum in provincia viderant*, leg. *videbant.* — ibid. 96, *hoc amplissimum nomen Senatorum*, abiiciatur interpolatum *Senatorum.*— 52, 121. *unus ager Agyrinensis — inanior quum sit, vos coniecturam totius provinciae nonne facietis?* Vulgo *non fac.* Sed Zumptius sequitur quatuor suos meliores; tum dubitat an *non* dicatur in apodosi. Hanc normam, multis praesertim exemplis refutatam, non agnosco: contra, hoc mihi intellexisse videor, *nonne* ei tantum vocabulo praeponi, in quo insignis vis sententiae esset, ut v. c. dici potuerit, *nonne totius provinciae* —. — 56, 130. Corrig. *elaborandum*, eodemque modo Leg. Manil. 8, 20. — 77, 180. leg. *quae pro frumento debita esset.* — 82, 190. leg. *sed ita multi.* — 84, 195. del. *L.* praenomen ante *Piso ille Frugi*, ex verissima observatione Madvigii Opusc. I. p. 170. not.: iterumque IV. 25, 56.

94, 219. *Nam si hoc probatis, et si licere pecunias isto nomine capi iudicatis, certe hoc, quod adhuc nemo nisi improbissimus fecit, post-*

hac nemo nisi stultissimus non faciet. Improbi sunt, qui pecunias contra leges cogunt, stulti, qui, quod licere iudicatum est, praetermittunt. Haec postrema sententia perquam miror nemini suspicionem iniecisse rhetoricae annotationis. Sed in prioribus requiro, de more, futura, *probabitis*, et *iudicabitis.*

Lib. IV.

1, 2. Nisi nullam sermonis normam fuisse statuamus, et quidvis pro quovis dici potuisse, h. l. corrigendum erit, *attendite iam*, pro *etiam.*

1, 3. *in amore atque in deliciis.* De iteranda an non iteranda Praepositione, docte disputavit Zumptius ad Divin. Caecil. 13, 41, cui difficile videtur, propter librórum inconstantiam, certam normam definire. Hoc tamen probari posse mihi videtur, nonnulla Substantiva esse quae, etiamsi bina, tamen unam notionem sic enuncient, ut tamquam de formula coniungantur, itaque non utantur iterata Praepositione. Igitur recte infra 14, 32. *a patre et maioribus relictum:* nec dubitabimus corrigere 27, 61, ubi nunc editur *a patre et a maioribus.* Sicubi ferretur *de Romulo et de Remo*, fidenter tolleremus alterum *de*,

sicuti constanter recte legitur Legg. I, 3, 8. Sine ulla varietate infra 4, 8. *cum imperio ac securibus*, et *in praetura atque imperio*, et 5, 10 *cum imperio ac potestate.* Eiusdem generis mihi esse videtur hoc, *amor et deliciae*, abiiciamque alteram praepositionem. Contra rectissime Orellius in Verr. V, 3, 7. ex optimis libris restituit *ad laudem atque ad praemium*, dissentiens a Zumptio: itemque V, 6, 13. ex Leid. restituendum *ad — caput et ad sanguinem.* — Aliquanto post, satis erat *apud tuos*, nec utimur interpolato *Mamertinos.*

2, 3. *Nam ipsa Messana, quae situ, moenibus portuque ornata sit, ab his rebus, quibus iste delectatur, sane vacua atque nuda est.* Non sine causa Ernestus de corrigendo cogitavit: neque audio Zumptium, qui explicat illud relativum sic, ut sit *licet ornata sit.* Est ubi hoc valeat, ubi, quod relativae sententiae subiicitur, praeter exspectationem sit, ut *qui* sit pro *quum tamen* · itaque fortasse concedendum est in eo loco, quem Orellius adfert, ad Att. II, 1, 5: non valet in eo, quem in manibus habemus, in quo simplex relativum requirebat *ornata est.* Sed corruptum esse suspicor *sit* ex *set* (*sed*), et relativo abiecto legendum esse, *Messana, situ — ornata, sed ab his —.*

2, 4. *Atque ille L. Mummius.* — Secundum ea, quae supra notavi ad II, 2, 5, delendum erit Pronomen, ortum ex perversa explicatione praenominis.

4, 7. *At non requirebat ille Cupido lenonis domum* —. Ineptum est *requirebat*, pro simpl. *quaerebat*, quod statim post recte ponitur, *non quaerebat meretricis heredem. Requirimus* id, quod iam semel petiveramus, aut certe habueramus, tamquam debitum.

6, 11. Defendebat Verres, signa se ab Heio emisse. Quod ubi refutare vult Orator, dicit: *Quid igitur nobis faciendum est? Num argumentis utendum in re eiusmodi?* Sed constat, post *num*, exspectari necessario responsum negans. Et tamen in hac demonstratione non nisi *argumentis* utitur Cicero (ex eo genere, quas Graeci rhetores πίστεις ἐντέχνους appellant), neque aliis uti poterat; quemadmodum in Miloniana 9, 23. fin. *argumentis* se usurum dicit, ut appareat uter utri insidias fecisset. Igitur corrigendum erit vel *etenim*, vel *nimirum*, sine interrogatione.

5, 10. *Quae fuit causa, cur tam diligenter nos in provinciis ab emptionibus removerent? Haec, iudices, quod putabant* —. Hoc quidem loco, quod saepe contra factum esse novimus,

ex compendio *uid.* perperam factum est *iudices*, quum requiratur *videlicet.*

7, 14. *Si libidini non feceris.* Sic corrigengendum esse dixeram e Cod. Leid., Bibl. Crit. N. V, 1, p. 13: postea idem commendavit Madvig. Opusc. I. p. 357.

9, 21. *fecisti item, ut praedones solent.* Imo, *idem.* — Tum 10, 24, bis pro *hinc*, legendum *hic.* — Et 11, 25, non *tu quid ego privatim negotii geram*, sed *quod* legendum. Quorum omnium demonstrationem nemo, opinor, requiret.

10, 22. Laudo Orellium, qui in Edit. Oratt. Select. emblema istud agnoverit, *Ita C. Cato — lis aestimata est.* Sed simile rhetoris additamentum continetur his verbis 9, 19. *Heius est laudator: laesit gravissime.* Nec reticebo idem dicendum mihi videri de his, 15, 33, *ut putetur in hisce rebus intelligens esse:* nam, quae esset illa existimatio, modo ante dictum erat.

16, 36. *Quid existimas hos iudices facere posse?* Non bene ante probavi Leid. lectionem, *hoc;* videoque nunc ex Orellii annotatione, esse qui mecum sentiat, *iudices* interpolatum esse, sicut olim ostendi in Divin. Caecil. 16, 54.

18, 39. *Tum iste continuo mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, ut ea vasa perquirant: rogat Diodorum, ut ad*

illum propinquum suum det literas. Iam statim dubitatio oritur, qui perquisituri essent illa vasa, *certi* illi *homines*, quos Verres mittebat, an ii, ad quos literas dabat. Agrigenti, in ipsa Sicilia, certos habebat, ad quos de talibus rebus literas mitteret: vid. infra 26, 58: Melitae habuisse, non puto. Sed ne ipsum quidem *perquirere* probari potest, siquidem neminem, praeter illum propinquum, adituri erant *certi* illi, ut ex seqq. manifesto patet. Iterum tenemus emblema horum verborum, *scribit — perquirant.*

23, 50. *Dionysiarchum ad se proagorum, hoc est summum magistratum, vocari iubet.* Vix dubitare licet, istam interpretationem non esse Ciceronis. Ideo, quum recurreret *proagorus* infra 39, 85, non opus visum est eam addere.

26, 59. *Ipse dabat purpuram, tantum operam amici.* Recte servatur haec interpunctio. Sed falli puto Zumptium, qui improbet vulgatam *operas*; quasi *operae* non *darentur,* propterea quod opus gratis Verri fieret. Sed primum constat, *operam dare* ita perpetuo dici solere, ut sine obiecti significatione ne intelligi quidem possit. Tum, non minus cognitum est, *operas dare*, i. e. ministerio in aliqua re fungi, absolute dici, sicut Paradox. VI. 2, 46: praecipue de operis quae in vectigalibus exigendis dabantur,

ut Verr. II, 70 171. 71, 173. 72, 176, et aliquoties in Epp. ad Att. Universe *operae*, pro manibus dicitur, non item singul. *opera:* conf. V, 19, 48. 27, 68: et *operae*, ut h. l., *materiae* opponuntur V, 18, 47. Itaque rectissime Lambinus correxerat Nat. Deor. II, 60, 151, ubi novissimi etiam editores servant, *iam vero operibus hominum, id est manibus, cibi etiam* (l. *et*) *varietas invenitur, et copia:* corrig. *operis:* et recte item Madvigius Opusc. II. p. 275, veram lectionem commendavit in Caton. Mai. 16, 56. Contra non minus fallitur Beierus, quum in Offic. II, 4, 14 defendit, *sine hominum opere*, quum praesertim bis in eadem § *hominum operam* rectissime servasset. Mirum sane, neque Davisium, qui istic Lambinum reprehendit, excitatis duobus locis e Salustio, neque Beierum intellexisse, *opus* dici de eo ipso, quod *opera hominum* efficiatur, vel efficiendum sit: sicut *operum lineamenta*, infra 44, 98. cf. 56, 124. Ne pro *artificio* sumatur *opera*, provisum est sublato Codd. errore ex Orat. I, 28, 129: recte contra *opus Corinthium*, infra 44, 97. — Modo ante, in eadem §, inserto pronomine, edendum erat, *ea per triennium.* Excitavi exempla quaedam huius consuetudinis Bibl. Crit. N. V. 1. p. 20.

23, 51. *Illa vero optima est.* Iure Zum-

ptium deserit Madvigius Opusc. I. p. 660. not., negatque in ea formula Substantivum generalis significationis (v. c. *res*) audiri posse, nisi eiusmodi sit, quod ex ipsis adiunctis intelligatur. Itaque necessario Cicero dixit infra, 26, 58, *illa vero eius cupiditas incredibilis est.* Sed illo loco fieri non potest, ut ex tam remoto loco (22, 49) *improbitas* audiatur. Neque tamen probare possum Madvigii suspicionem, *est* deleto, dici *illa* posse plurali numero, tamquam si narratio, quae sequitur, particulatim in plura crimina distribueretur: contra enim, quum complura ante breviter commemorasset, unum hoc Haluntii crimen, ut maxime nefarium, adiicit fusiusque persequitur. Probandum igitur, *illud vero optimum:* neque hoc erat arcte coniungendum cum sqq., sed, deleto *quod*, nova sententia ordienda, *Quum Haluntium venisset* —.

27, 62. *Deinde ipsum regem ad coenam vocavit.* Corrigendum esse *vocat*, et antecedentia, et sequentia demonstrant. Tollam praeterea, si mei arbitrii esset, *regem:* conf. quae supra notavi ad I, 15, 41.

30, 68. *Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum huius tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perventuram putasti, quum audirent, a prae-*

tore populi Romani in provincia violatum regem —? Uterque et Zumptius et Madvigius, *audirent* restituerunt, prae vulgato *audierint*, quod soloecum esse dicunt. Non assentior. Etenim, si Perfectum *putasti* ita reliquorum tempora regeret, postularetur ut dixisset *quemadmodum accipere*, et *pervenire*, aut *accepisse* et *pervenisse.* Sed valet h. l. id, quod breviter enunciavi Vol. I. p. 69. Interrogatio ista (*quemadmodum putasti*) tota rhetorica est, nec nisi formam vehementiorem dat sententiae ipsi, cuius enunciatio grammatica non evertitur aut mutatur. Igitur simplex enunciatio erat, *quemadmodum hoc accepturae sunt nationes exterae, quum audierint*, quae futuri forma necessario servanda est. Sensit idem Madvigius, ubi infra 35, 77, defendit *exportabatur*, pro *exportaretur.* Epist. Crit. p. 72. Itaque recte Orat. II, 17, 71. *praeclare mihi videris posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum —:* simplex enim enunciatio erat, *posuisti.*

31, 70. In proxime antecedd. sermo fuerat de templo Iovis Optimi Maximi, cuius opera sumenda esset Catulo: nihil dum de candelabro. Itaque in his, *audisti Q. Minucium dicere — se illud scire ad istum esse delatum*, excidisse puto *candelabrum* ante *illud.*

33, 73. Et initio abiiciendum est putidum emblema *bello Punico tertio:* et aliquanto post *an* legendum, pro *anne.* Abusum huius postremae coniunctionis attigi ad Legg. p. 484. Diversa sunt Terentiana, quae excitat Beierus Exc. XI. ad I. Offic. p. 339.

36, 79. *Te nunc, P. Scipio — appello: abs te officium tuum, debitum generi ac nomini, requiro et flagito.* Sed putidum est *abs te officium tuum requiro:* alterutrum, vel *abs te*, vel *tuum* recte diceretur. Corrigendum *tuo debitum generi.* — Sed, ut et istic, et multis aliis locis rectissime *nomen et genus* iunguntur, ita perperam, ut mihi videtur 37, 81 dicitur *ornentur alii mortui virtute ac nomine.* Concedit aliis et imaginem Africani, et nomen, modo ipse universae civitati commendatus sit: sed *virtutem* illis concedere non potest. Nondum reperi quo modo corrigendum sit. *Virtus* et *genus* opponuntur V, 70, 180.

39, 85. *discedens mandat proagoro Sopatro — ut demoliatur.* Fert Ciceronis consuetudo, ut post Praesens historicum sequatur Imperfectum, itaque h. l. *demoliretur.* Eademque ratio suadet, ut in antecedd., *signum ut demolirentur — imperavit*, reponatur *imperat.* Ita 43, 93. *praecipitur — ut noctu vigilias agerent.*

1, 26, 66. *servis suis Rubrius ut ianuam clauderent — imperat:* infra 61, 137, *agit mecum ut adiremus:* et sic passim.

41, 88. Abiiciatur emblema *de Mercurio Tyndaritano*, quod ne Latinum quidem est, quum postularetur *crimen Mercurii Tyndaritani.*

44, 98. *Haec Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus.* Ferri non posse *Scipio ille*, ex iis intelligetur, quae supra ad II, 2, 5 notavi. Sed nomen proprium per errorem fluxisse suspicor ex eo, quod voluit Cicero, *haec scilicet ille —*. — In eadem disputatione dicitur intelligentia etiam istorum ornamentorum praestitisse Scipionem: *nam quia, quam pulchra essent, intelligebat, idcirco existimabat, ea non ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum atque oppidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta religiosa esse videantur.* Si postrema (*ut — videantur*) indicant Scipionis consilium, Grammatica ratio postulat *viderentur:* sed tum scripsisset Cicero, opinor, *posteris*, vel *posteris suis*, non *nostris*, i. e. Ciceronis et aequalium. Neque omnino dici aut cogitari potest quidquam *posteris*, i. e. iis qui nondum sunt, *videri*, tempore Praesenti. Requiro ut haec dicantur in ipsius Oratoris conclusione, corrigaturque *ut posteris nobis — videantur.*

43, 94. *apud Agrigentinos*. abiiciendum emblema intempestivum.

45, 99. *Audite etiam.* Quantocyus reponendum *iam*, quod h. l. facilius etiam quam multis aliis corrumpi potuit, ex duarum literarum iteratione.

45, 100. *Tum iste permotus illa atrocitate negotii* —. Non uno nomine haec absurde dicuntur. Neque enim, si Pronomen requireretur, *illa atrocitate*, sed *illius atrocitate negotii* dicendum fuerat, aut omittendum *negotii*. Sed quis putat Verrem, cuius servi, ipsius iussu, ut credibile est, signum illud sustulissent, atrocitate negotii permotum fuisse? Simulare tantum poterat. Itaque legendum, *permotus scilicet atrocitate negotii.*

45, 102. Iterum tenemus impudentissimum emblema verborum, *quoniam id viri neque vidisse neque nosse poterant*. Non tantum pueros, sed plane stipites sibi finxit Grammaticus, qui haec ad locum explicandum adiecerit.

47, 107. *Criminibus enim coarguitur, aut suspicionibus in iudicium vocatur*. Reponendum simplex *arguitur*, quod et ratio et usus postulat, ut V, 18, 46. *Coarguitur* quis (ut paulo post recte scribitur) rebus ipsis, et testimoniis, et ipsius confessione. Bene Zumptius in his iro-

niam agnovit, et repudiavit Graevianum *haud*, prae *aut*.

48, 107. Non puto recte dici *laetissimi flores omni tempore anni*. Dicuntur sane *res rusticae laetae* et aliis rebus, et *florum omnium varietate* Cat. Mai. 16, 54: sed ubi adspectus istius, qui describitur, loci attenditur, potius exspectes *laetissimae frondes*, quam *flores*.

49, 107. *Propter huius opinionis vetustatem, quod horum in his locis vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum* —. Nulla causa erat, cur *horum deorum* tot vocabulis interpositis distraherentur, ne cur in finem quidem reiiceretur *deorum*. Hoc postremum suspicor interpolatum esse, postquam *deorum* in *horum* corruptum esset.

49, 110. *His* (*signis*) *pulchritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio, atque asportatio perdifficilis videbatur*. Suspicor postrema haec enarratori cuidam deberi.

Omitto minutiora, ut 52, 116. legendum esse *servatum esset:* tum 54, 120, *revertor*. Et 55, 122, consuetudo postulat, ut, nova instituta sententia, corrigatur. *Ea ab isto sic spoliata* —. Ibid. 123, de Verre dicendum non erat, *quanto taetrior hic tyrannus Syracusanus fuerit*, sed *Syracusanis*, ut video exstare in Cod. Leid.

Quod statim subiicitur, *quia illi tamen ornarunt templa deorum immortalium*, aut, ut ex aliis Codd. editur, *quum illi tamen*, probari non potest: Leid. habet *qz illi tamen*, compendio non satis firmo. Corrigendum est, *quorum multi tamen.*

56, 124. *Confirmare hoc liquido, iudices, possum, valvas magnificentiores ex auro atque ebore perfectiores nullas umquam ullo templo fuisse.* Leid. *illo tempore*, sane vitiosum: sed ne illud quidem sine Praepositione defendi oportebat a Zumptio, qui perperam confert II, 18, 44, ubi *forum* non magis quam *conventus*, de loco dicitur: in altero loco, V, 72, 186, ne cogitari quidem potest Praepositio, siquidem *mater Idaea — augustissimo templo* tamquam in praedicato dicitur, cuius aug. templum est.

Tollenda est interpolatio, 58, 130, *Syracusani.* — 59, 132, *primum, quod omnes religione moventur —; deinde hic ornatus, haec opera — Graecos homines delectant.* Non apparet quo consilio Coni. *quod* interponatur, quae, si recte poneretur, iteranda erat post *deinde.* Nec diligenter satis Codd. discordiam commemorat Zumptius: certe in Leid. est *quo oms moventur*, omisso *religione.* Sed istud *quo* casu quodam, ut opinor, reliquum est ex voc. *religione*, quod

propter emphasin initio requiritur. Legamus igitur, *primum, religione omnes moventur* —.

59, 133. *nulla umquam civitas — signum ullum, tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis sua voluntate cuiquam vendidit.* Propter similitudinem soni in clausula voc. *tabulam*, excidit aliud, quod si restituimus, Latinitati simul consulemus. Leg. *tabulam ullam pictam.*

60, 134. Vellem Zumptius sensisset, necessario, propter disertam oppositionem, requiri, *quas nos contemnimus.* Tum, ut in § 135 meminisset, *propter quod unum visuntur Thespiae*, legi supra 2, 4, et inepte h. l. ita interpolari, ut cursum enumerationis interrumpant.

61, 137. *Quum haec agerem, repente ad me venit Heraclius, is qui tum magistratum Syracusis habebat.* Difficile est in his acquiescere. Etenim, Nomini proprio *is qui* tum subiici solet, quum diligenti designatione efficere volumus, ne error oriatur in homine, quum plures eodem nomine cogniti sunt, aut quum eo modo designamus, ut statim ab omnibus agnoscatur. His autem iudicibus et omnes Heraclii ignoti erant, et Romae nemo quisquam curabat quis quoque tempore Syracusis magistratum haberet. Hinc facile adducor, ut *is* abiiciendum censeam, et excidisse putem *summum* ante *magistratum.*

64, 143. *In qua curia statua tua stabat, et nuda filii, in ea nemo fuit, ne quem nudus quidem filius et nudata provincia commoveret.* Isto ordine, *ne quem*, Leid., ut Madvigius vindicaverat Ep. Crit. p. 56. conf. Opusc. I. p. 325. Sed quid oportebat statuam filii bis commemorari? (*nuda filii* et *nudus filius*). Dubito adeo, an *nuda statua* appellari possit: sed, quod rem conficit, ne stabat quidem illa filii statua in curia, sed in foro in fornice: vid. supra II, 63, 154. Tum, absurde hoc adiicitur, neminem fuisse quem *nudata provincia commoveret:* neque iocum intelligere me fateor, quem Orellius in his inesse demonstrare conatus est, qui Graevii coniecturam secutus edidit prius *in nudata prov.*, post omisit Praepositionem. Quid alii Codd. afferant nescio; Leid. certe corrupte *filius ultimi data provincia:* ut appareat antiquitus iam in eo loco turbatum fuisse: et credo postrema illa ex II[do] libro inepte interposita esse. Abiectis igitur inutilibus, locum sic legamus, *in qua curia statua tuâ stabat, in ea nemo fuit ne quem nudus quidem filius commoveret.*

64, 144. Eiusmodi fuit laudationis Sctum Syracusanorum, *ut omnes intelligere possent, non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quae commonefaceret istius turpem calamito-*

samque praeturam. Non immerito Madvigius putat multa in hac §, quam deinceps recitare non attinet, concurrere perturbationis vestigia: Zumptium adeo reprehendere videtur, qui istud *admonere praeturam* (at erat *commonefacere*) excuset, Opusc. I. p. 364. Et in hoc quidem minus placet Lambini correctio, ut legatur *de istius — praetura.* Quod enim obiectum habere poterit istud *commonefacere*, quod de Scto dicitur? Potuit ne *commonefacere* de *ἀναμνήσει* dici et *ἀνακεφαλαιώσει*? cuius similia exempla commemorantur apud Rhetores, v. c. apud Apsinem p. 81. sqq. Verbis *cuiusmodi constat* quid faciam, nescio. Sed in iis quae statim sequuntur legi poterit, *hoc porro scriptum esse.*

65, 147. Legendum sane est, *excogitat sane acute quod decernat*, non *quid.* — Aliquanto post, non *quod quidem*, sed *quodque apud Graecos Graece locutus essem*, legendum. Nec Lambinianum *quum multa* deserendum est, quod perpetua ratio flagitat: et, ex Leid. legendum *me hoc memini.*

Lib. V.

1, 1. Ex iis quae Madvigius Opusc. I. p. 365 prudenter monuit, non dubito quin mecum probaturus sit hunc ordinem, ex Leid. *Nemini video,*

iudices, *dubium esse.* — Gravius est quod idem Cod. in proxime seqq. habet *simulatione* pro *dissimulatione.* Fieri poterat ut Verres, si minus vere religione duceretur, id tamen *simularet;* minime ut *dissimularet.*

Ibid. *Sed quaedam mihi magnifica et praeclara defensio eius ostenditur, cui, quemadmodum resistam, multo ante est mihi providendum.* Sic edidit Zumptius: Orellius, auctore Madvigio, ex aliis Codd. restituit, *mihi*, *iudices*, *providendum.* Nihilominus fieri posse suspicor ut hi Codd. interpolati sint, postquam in superioribus vera lectio obliterata esset. Quid est enim *defensio eius?* Putidum sit explicare, Verris: nam Genitivus, qui cum *defensionis* vocab. iungitur, plerumque est eius sceleris, cuius quis arguatur, ut h. l. exspectavisses v. c. *defensio omnium istorum.* Accedit, quod nude *defensio* ponitur IV, 4, 8. aliisque locis. *Eius* corruptum est ex *iudices.*

2, 5. Minus prudenter restiti Madvigio olim, recteque nunc legi puto *communicatam putas.* — Sed 5, 10, et distinguendum puto —*praetermissa est tum. Potuit* —: et necessario corrigendum *fuerit nundinatio*, ut dicat, hic locus praedandi esse poterat. — 5, 11. Nondum desero meam de hac lectione, *quod commodum est?* sententiam. Co-

gitandum erat de aliquo quaestu aut praeda: idque nunc leniori vocabulo *commodum* appellat: *quod commodum* esse potuit in ea re? Igitur, deleto *est*, retineo vulgatam distinctionem.

12, 29. Probavi olim Madvigium, qui *labor operis maxime offendit* revocari ex Codd. iussit, pro vulg. *offenditur*: neque nunc poenitet. Sed haereo in eo, quod dicitur *labor operis*, quae ita coniungi posse nego: multoque minus *opus* appellari posse puto id, quod messis tempore a servis exigebatur: conf. ea quae supra notavi ad IV, 26, 59. Corrigendum est *operas*. Ita infra 47, 123, *maxima vis frumenti — illorum operis ac laboribus quaeritur*: quemadmodum 20, 51. *labor* et *opera* coniunguntur.

13, 34. Tollendum esse *Chelidonis*, vix admonitione indiget.

15, 39. *Nisi forte Italici fugitivorum belli reliquias — proferes.* Leid. *Italici bellici fugitivorum belli*: unde confirmari puto haud vanam suspicionem interpolationis, ut delendum sit vel *fugitivorum*, vel potius *Italici*. — Sed, modo ante, *intelliges* revocandum erat, quamquam e deterioribus libris. Stulte sane Verres eo confugeret, si iam intelligeret ex eo nullam sibi defensionem ortam; sed intellecturus erat.

Statim post editur: *ad quod (Tempsanum in-*

commodum) recens quum te peropportune fortuna attulisset —. Sed quis umquam Latine dici posse putat, *fortuna attulit Verrem ad Tempsanum incommodum?* Minimeque probo Zumptium, qui ita interpretatur, »nimirum ut et ipse gloriam nanciscare, et incommodo medeare:" *fortuna affert res*, non *homines ad res:* homines autem *fortuna incidunt in res.* Itaque restituendum erat, quod Lambino iam notatum, et aliunde cognitum nunc Leid. auctoritate confirmatum est, *id quod recens quum peropportune fort. att., si quid* —.

17, 44. *Navem vero cybaeam, maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam, palam aedificatam tuo nomine, publice, sciente tota Sicilia, per magistratum senatumque Mamertinum tibi datam donatamque esse dico. Haec navis, onusta praeda Siciliensi, quum ipsa quoque esset ex praeda, simul quum iste decederet appulsa Veliam est, cum plurimis rebus, et iis, quas iste Romam mittere cum ceteris furtis noluit, quod erant carissimae maximèque eum delectabant. Eam navem nuper egomet vidi — pulcherrimam atque ornatissimam, iudices.* In hoc loco unum alterumque corrigendum videtur. Primum offendit, quod *cybaea maxima* appellatur, et, tam-

quam si hoc non satis esset, additur *triremis instar:* contra, IV, 8, 17 simplex mentio facta erat cybaeae; neque omnino attinebat quanta ea esset, sed publice datam esse. Non sine causa igitur obtemperandum videtur Guelf. 2. et Codici Leid., in quo verba *maximam triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam* omittuntur, quorum postrema, aliquanto inferius, suo loco ponuntur, non repetita per errorem e superioribus, ut Ernesto videbatur. In sequentibus turpiter interpolatum est in omnibus, etiam optimis, libris. Veluti, *tuo nomine* quid sit, intelligat qui potest: sed nullis machinis effecturus erat Orellius, ut verba illa idem valerent, ut si dixisset *pro te:* id, quod agitur, significatur verbis *tibi datam esse.* Sed ne reliqua quidem (habent enim optimi libri *sumtu publico tuo nomine publice*) Oratoris sunt. Praeterquam enim quod Mamertini navem *donare* non potuerunt, nisi quae *publico sumtu* aedificata esset, quo modo iungentur *palam aedificatam sumtu publico?* Nam quum vix ulla navis in arcano aedificari possit, istud *palam aedif.* per se nihil aliud est, nisi in ipsius civitatis navalibus, i. e. sumtu publico, ut mox, § 46, simpliciter *palam tibi aedificari navem:* tum huius ipsius rursus interpretatio adiicitur, *publice*, siquidem neque *publice*

sciente Sicilia, neque *publice per magistr. senatumque* iungere licet. Postremo, ne copulam quidem intelligo in *et iis*, quasi *eae res* diversae essent ab illis *plurimis*.

18, 46. — *te in Italia maritimum habere fundum, et ad fructus deportandos onerariam navem comparare.* Exspectabam, *in Sicilia:* hinc enim fructus deportari solebant, non ex Italia. — Mox, § 47, *quod Mamertini materiem non habent, imperavisti*, postulatur, credo, *haberent.*

22, 56. *At Netini quidem sibi non defuerunt.* De suo edidit Zumptius *at*, quem Orell. secutus est: in libris est *ac*, quorum in talibus nulla, dicam fere, auctoritas est, quamdiu sua cuique Coniunctioni vis constat. Et h. l. adversativam illam coniunctionem respuit disputatio: nihil proponitur, tamquam ab adversario, quod solvendum sit, pergitur in explicando crimine. Equidem corrigam *et.* — Mox, *et*, post *praetoris literas*, delendum.

28, 72. Bis ex eodem genere interpolatum est, tum *cives Romani* post *alii*, tum *civibus Romanis* post *multis*. Porro 30, 78 *archipiratam* post *visum esse*; et 79 *nobilissimus pirata* post *Nico ille*, et ibid *de illo archipirata:* tum 43, 111, *Heraclium.*

31, 81. Describit vitam Verris, quam is in aestivis suis, in litore, duceret: *sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo, praeter ipsum et praetextatum filium: — nonnumquam etiam libertus Timarchides adhibebatur, mulieres autem nuptae nobiles, praeter unam mimi Isidori filiam, quam iste propter amorem ab Rhodio tibicine abduxerat, Pipa quaedam, uxor Aeschrionis Syracusani: de qua muliere plurimi versus, qui in istius cupiditatem facti sunt, tota Sicilia percelebrantur. Erat Nice, facie eximia, ut praedicatur, uxor Cleomenis Syracusani. Hanc Cleomenes vir amabat* cet. Qui totum locum consideraverit, concedet, opinor, ab initio Oratorem nihil aliud egisse. nisi ut nefarium illud scelus proditae classis, et navarchorum supplicio affectorum luculenter exponeret. Sed horum omnium ortum repetit a Verris libidine, cui ut satisfaceret Cleomenem classi praefecerat: itaque Nice, Cleomenis uxor in ipso principio narrationis ponitur, neque aliam mulierem ullam commemorari oportebat. Hoc igitur vitiatum et corruptum esse suspicor interpositis a male sedulo annotatore iis, quae is supra legisset. Verbi causa, quum dixisset, *mulieres autem nuptae nobiles* sc. accumberent, satis erat addere, propter illud *nobi-*

les, praeter unam mimi filiam: neque *Isidori*, neque reliqua verba, *quam iste — abduxerat* h. l. ab Oratore posita esse existimo, sed addita esse ex III, 34, 78, et ita addita, ut inepte istud *propter amorem* assumeretur: non erat *amor* in Verre notandus, sed libido et nequitia: ipsum *amoris* vocabulum, infra 32, 85, non nisi adiecto *furoris* excusandum est. Sequitur, *Pipa quaedam:* sed qua coniunctione sententiae? Quid est hoc? *mulieris nuptae nobiles —, Pipa quaedam —: erat Nice —?* Si nobiles mulieres enumerare voluisset, plures, quam has duas commemorare oportuisset: nec tamen extremum illud, *erat Nice*, tamquam in enumeratione ponitur, sed initium fit narrationis. Accedit, quod isti mulierum illarum nobilitati parum respondet Pipam dici *quandam*, quam tamen supra, 12, 31, *honesto loco natam* appellaverat. Igitur totum hoc quoque de Pipa huc adscriptum videtur ex III, 33, 77; et ita adscriptum, ut minus propria oratio fraudem arguat. Non erant isti versus in Verris *cupiditatem* facti, sed in eius *nequitiam*, neque *versus percelebrabantur*, sed nomen Pipae et Verris licentia versibus illis percelebrabantur. Non intercedam si qui, Codicum auctoritatem ut tueantur, omnia ista (*quam iste — percelebrantur*) et loco, et apte, et eleganter scripta

esse defendant; et hanc disciplinam docilis exspectabo.

32, 84. Minutum vitium est in *iis claustra* legendumque ex Leid. *his claustra*, ut solet. Supra 20, 50 *qui — hi*: et sic perpetuo, ut Offic. I, 2, 5. Igitur mox § 85 fin. idem Leid. rectius *his tu nostri:* et statim post corrig. *hos Syracusano:* recteque infra 58, 152. Leid. *his omnibus;* et 153, *his apud te.* Contra 29, 74. extr. *qui — is*, ubi Pronomina referuntur ad eum ipsum, quem alloquitur Orator.

39, 102. *advocat amicos statim: quaerit ex his singillatim, quot quisque nautas habuerit.* Haec quidem sic iunguntur, tamquam si ex amicis quaesivisset: alio enim Pron. *his* referri non potest. Credo unam syllabam per similitudinem praecedentis absorptam esse, legendumque, *tum quaerit ex iis.* Neque sequi oportet *respondit*, sed *respondet.*

41, 107. *Atque eum (Cleomenem) vident sedere ad latus praetoris, et ad aurem familiariter, ut solitus erat, insusurrare. Tum vero omnibus indignissimum visum est, homines honestissimos — in vincla coniectos: Cleomenem — familiarissimum esse praetori.* Mihi non quidem indignissimum, sed tamen vix credibile visum est, non vidisse viros doctos haec, quibus

absolvantur priora (*quaerebatur Cleomenes, non quo illum supplicio quisquam dignum putaret*), sic legenda esse, *At cum vident sedere — insusurrare, tum vero — coniectos, Cleomenem* cet.

42, 110. *nudus paene est destitutus* Leid. *constitutus*, minime spernendum.

43, 113. *Non posse Verrem testes interficiendo crimina sua extinguere.* Non defendo eam, quam olim proposui, coniecturam, *criminum vocem extinguere:* sed minus etiam probandum id, in quod postea (Opusc. I. p. 371) incidit Madvigius, qui, quum in libris esset quoque *interficiendo nos extinguere*, spreta quam pridum ediderat coniectura, commendat *interf. voces extinguere*, in quo difficile est cogitare, quod tamen requiritur, *testium voces*, et in eo fallitur, quum *voces* plur. numero ponit, quum eo sensu, nisi *clamores* intelligantur (ut Muraen. § 50), non nisi singulari numero dicatur: ne dicam, vix defendi posse hoc, ut dicatur quis non extinguere vocem eius, quem interficiat. Sed nondum plane demonstratum est *crimina sua* esse ex interpolatione, quam tamen Madvigius dicit manifestam esse. Sicuti huiusmodi vitii permultis locis non difficilis indicatio est, ita in nonnullis aliis periculosum est pronunciare, praesertim male intellectis verbis: nam in hoc certe erravit Orellius,

qui *crimina* eadem esse putavit, quae *scelera*, *maleficia*, Verris scilicet; idque quum minus Latinum esset, hinc argui interpolationem. Non attendit Orellius, Verris crimina si intelligerentur, dicendum fuisse *sua crimina*, non *crimina sua*. Relinquitur ut *crimina sua* sint ipsius Furii crimina, eius, qui ista scripta reliquisset, nempe ea, quae ipse Verri obiiceret. Et sic demum defenditur verbum *extinguere*, quod, sicut *opprimere* (quocum aliquoties apud Ciceronem iungitur) tam de adversario dici cogitarique potest, quam *testem interficere*, qui crimina confirmet. Reflexivum autem *sua*, si non ad *Verrem* referri poterit, aliud in praecedentium verborum compositione requirit, quo referatur. Atque hoc, una vocali addita, quae facile intercidere potuit, obtinebimus sic: *non posse Verrem teste se interficiendo crimina sua extinguere.* De collocatione Pron. *suus*, notavi nonnulla Bibl. Cr. N. V. 1. p. 19, quorum nondum me poenitet. Incido in aliud exemplum, Fin. II, 18, 58: *si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas filiae suae*, quemadmodum edidit Madvigius, aliis servantibus *suae filiae:* in quo, utrocumque modo scribatur, sententia sane dubia non est. Verum si quis ita proponit, *amicus alterum rogat ut hereditatem reddat filiae suae,*

intelligenda erit filia alterius; si *suae filiae*, filia amici rogantis. Peropportune occurrit hoc, e Verr. II, 5, 13: *idemque Mamertinus legatus — non solum istum bona sua, verum etiam sacra deosque penates — ex aedibus suis eripuisse dixit:* in quibus, si *sua bona* scripsisset, intelligerentur Verris bona. Rursus ibid. II, 68, 163: *quum Centuripinorum civitas — iudicarit, C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere*, i. e. in Centuripinorum urbe. *in sua urbe* esset, in Verris urbe: ideoque in fin. eiusdem § corrigendum *in civitate sua*. IV, 58, 129: *illud (Iovis signum) Flaminius ita ex aede sua sustulit, ut in Capitolio — poneret*, i. e. ex aede Iovis: *ex sua aede* esset, ex aede Flaminii. Iterum V, 72, 186, *ex suis sedibus* i. e. Herculis: *ex sedibus suis* esset Verris: et 72, 187, *ex sua sede*.

46, 121. Praeferam, ex Leid., *qui existimares — posse sanari*, prae vulgato *qui te exist. — sanare*.

47, 124. *En quod Tyndaritani libenter praedicent*. Corrig. *praedicant:* nulla hic ratio est Coniunctivi.

Ibid. *Multum vero haec his iura profuerunt in istius imperio et potestate*. Fidenter corrigo, *haec vobis iura*. Utitur Orator apostrophe ad Tyndaritanos, unde statim *vestros nautas*, et *vobiscum*.

Ibid. 125. *haec (civitas) apud te cognationis — ne hoc quidem iuris obtinuit, ut unius honestissimi — civis mortem ac sanguinem deprecaretur.* Neque *iuris* in huius loci compositione, neque, ut bene animadvertit Madvigius Opusc. I. p. 341. not., Zumptianum *ius*, ferri potest. Probare possem *hanc usuram:* sed praesto est Leid., in quo scriptum *iure.*

48, 126. *Patimur enim multos iam annos et silemus, quum videamus ad paucos homines omnes omnium nationum pecunias pervenisse.* Quum in optimis libris omittatur *omnes*, non erat *homines* servandum, ut fecit Zumptius, sed hoc ipsum in *omnes* mutandum: solet ita dici, *ad paucos*, non addito Substantivo. Sed praeterea corrigendum, *videmus:* non ratio redditur, sed loquendi forma periphrastica est, pro eo quod nos diceremus, *videntes.* Igitur mox quoque, § 127, Corrig. *esse videtis.* Sic 68, 177, *quum — dicebat.*

Ibid. 127. *At istorum villae — spoliis ornatae refertaeque sunt.* Nulla hic oppositio aut obiectio ferri potest: ab urbis ornatu progreditur ad privatos, quorum villae spoliis illis refertae essent. Itaque, cum indignatione dicendum erat, *Quid? istorum villae —.*

49, 130. *ne falsa damnatio — magistrati-*

bus nostris quaestui posset esse. Leid. *possent.* Sed requiro Praesens, *possit:* loquitur in genere, neque Imperfectum requiritur ob praecedens *huc accessi.*

50, 133. *Fateor non modo in socios — persaepe esse severe ac vehementer vindicatum.* Sed non quaerebat nunc quid aliquando factum esset, sed quid fieri oporteret ac saepe necesse esset. Quare corrigo *vindicandum.* Error maxime obvius: mox § 134. pro *attribuenda*, Leid. habet *attributa.*

53, 138. Aliquanto melior verborum ordo exhibetur in Leid., *haec tibi si tuus*, et *tibi ut ignosceret.*

58, 153. *cui civi tum supplicanti* dubitabat Orellius unde edidisset Zumptius, qui tamen indicaverat, et dixerat *tum* esse ex uno Guelf. 1. Ad hanc Coniunctionem firmandam accedat nunc Leid. Si olim facile carui addito *civi*, idem nunc servandum puto.

59, 153. *his iudicibus populoque Romano.* Videri poterit *iudicibus* interpolatum esse: Pronomen enim, ut cognitum est, nihil aliud indicat.

62, 160. *Res ad eum defertur: esse civem Romanum, qui — quereretur; quem iam — a se retractum esse et asservatum, ut ipse in eum statueret quod videretur.* In istis *a se,*

intelligendum sane *a magistratu:* sed obstat verborum compositio: nusquam enim verbum apparet, in quo illud subiectum cogitetur. Corrigi poterit *rem ad eum defert.* Et sane *rem* habet Leid. Sed requiro praeterea Pronomen ab initio, *Is rem ad eum defert:* nisi potius *hi rem — deferunt*, quoniam *magistratus* de toto collegio dici in his rebus solet, et mox *hominibus* dicitur.

65, 168. *cognosceret hominem; aliquid de summo supplicio remitteres; si ignoraret; tum — hoc iuris in omnes constitueres* cet. Obtemperandum fuerat Manutio, qui rectissime sensit, *si* ante *ignoraret* delendum esse.

66, 170. *Non tu hoc loco Gavium, non unum hominem nescio quem, civem Romanum, sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti.* Interpolatum est *civem Romanum*, quod adversatur consilio Oratoris, quippe continens id quod gravissimum erat, non, ut praecedentia, elevabat et vilius reddere posset crimen.

67, 171. *ad saxa et ad scopulos.* Fort. non spernendum, quod in Leid. alterum *ad* omittitur.

67, 172. *Nam civium Romanorum omnium sanguis coniunctus existimandus est, quoniam et salutis omnium ratio et veritas postulat.*

Improprie et contra Ciceronis consuetudinem *ratio* et *veritas* disiunguntur: contra, *ratio et veritas* unam notionem declarant, verae rationis. Et quoniam ne accusativus quidem abesse potest, corrigendum videtur *quoniam id salutis* cet.

69, 177. *quum populus Romanus — alium ordinem ad res iudicandas requirit: nempe lege de iudiciis iudicibusque novis promulgata.* Non tantum *nempe*, putide iteratum e superioribus, offensioni est, sicut Orellio fuisse videtur: sed totum hoc, usque ad *promulgata*, iure in suspicionem venit ineptae annotationis, qua in textum recepta, interisse videtur vera lectio in seqq.'*quam legem non is* —.

72, 189. (*deos omnes imploro ut* —) *utique res publica meaque fides una hac accusatione mea contenta sit, mihique posthac bonos potius defendere liceat, quam improbos accusare necesse sit.* Corruptelas nonnullorum Codd., in quibus Leid. est, bene refutat Madvigius. Nihilominus non admitto eam interpretationem, qua defendit eam lectionem, quae nunc recepta est. Duabus rebus, inquit, ad accusandum adductum se Cicero dicit, reipublicae causa —, et fide sua, quam Siculis deberet. Vellem docuisset, non stolide dici *fidem contentam esse aliqua re.* Ne hoc quidem dici poterit, *contentum esse*

alicuius fide, si quidem *contentum esse* continet hoc, *non plus requirere.* Sed, quo modo fides Ciceronis erga Siculos non contenta esse poterat (si tamen ita loqui licet) hac una accusatione? et quid eam attinebat alios improbos accusare, quos Siculorum nihil interesset accusari? Offendo praeterea in *accusatione mea*, quum Pronomen absurdum sit post *mea fides.* Ut verbo dicam; quae vel contenta esse poterat hac una accusatione, vel exspectare ut posthac plures alios improbos accusaret Cicero, una erat res publica. Sensisse hoc suspicor Ernestum: et, nisi fortasse graviore vulnere laboret hic locus, video et orationi et sententiae sanitatem restitui posse, deletis verbis *meaque fides.*

V.

Attica.

§ 1.

De Poletis et de Poleterio.

De Poletis Atheniensium alii alia expediverunt: et in Demosthene, qui dicitur, Aristogit. I. p. 787. fin., (ubi dicitur, *λαβὼν αὐτὸς αὐτοχειρίᾳ πρὸς τὸ πωλητήριον τοῦ μετοικίου ἀπήγαγε,*) probanda fortasse videatur Meieri ratio (Bon. Damn. p. 41), nullum fuisse peculiare Poleterium *τοῦ μετοικίου*, sed, deleto illo articulo, *μετοικίου ἀπήγαγε* iungenda esse, et fuisse illam actionem appellatam *μετοικίου ἀπαγωγήν·* conf. Lit. Att. p. 233: quod quum improbaret Schaeferus, non reputabat, sa-

tis absurdum hoc fingi oportere, ut uni collegio Poletarum, plura, pro diversis vectigalibus, Poleteria fuerint destinata. Nihilominus propter constantem orationis usum, corrigendum erit *πρὸς τοὺς πωλητὰς τοῦ μετ.* Dindorfium, in novissima Demosthenis editione, hoc non attendisse magis miror: sed hic istud *αὐτοχειρίᾳ* etiam sine animadversione reliquit, vocabulum nec per se Demosthenicum, neque aptum rei, et, si aptum esset, abundans propter antecedens *αὐτός*. Sed idem voluit Plutarchus Vit. Lycurgi p. 842. B. (conf. Flamin. p. 376. init.) *πρὸς τὸ μετοίκιον αὐτὸν ἀπαγαγόντος·* quam loquendi negligentiam equidem sic explicare malim, ut sit pro *πρὸς τοὺς πωλητὰς τοῦ μετοικίου αὐτὸν ἀπαγ.*, quam pro *πρὸς τὸ πωλητήριον τοῦ μετοικίου*, quemadmodum facit Boeckhius Oecon. Civ. Ath. I. p. 447. not. Non reticebo tamen miram mihi in primis videri illam de Lycurgo narrationem, qui, quum iste *τελώνης* suo iure suaque potestate in Xenocratem inquilinum uteretur, non tantum, spretis legibus, male habuerit eum, sed in vincula etiam coniecerit, *ὡς οὐ τὰ πρέποντα δράσαντα!* Sed Plutarchus debuisset *ἐλύσατο*, non *ἀπέλυσε* scribere, i. e. redemit eum, soluto *τῷ μετοικίῳ*. Fuit sane initio Xenocrates, quippe Chalcedonius, Athenis inquilinus: honoratum fuisse postea, intel-

ligitur e legationibus ad Philippum, quibus functum esse eum traditur apud Diogenem Laërtium.

Sed Pollux considerandus est, qui VIII, 99. ita: *πωληταὶ τὰ τέλη πιπράσκουσι μετὰ τῶν ἐπὶ τὸ θεωρικὸν ᾑρημένων, καὶ τὰς τῶν ἐξ Ἀρείου πάγου μετὰ τὸν πρότερον λόγον Φυγόντων οὐσίας, καὶ τὰ δεδημευμένα, πρυτανεύει δ' ἐξ αὐτῶν εἷς, ὃς τὰ πωλούμενα βεβαιοῖ. ἀπήγοντο δὲ πρὸς τούτους καὶ οἱ μετοίκιον μὴ τιθέντες.* Quod enim addit (omissum apud Harpocrat. et Phot. v. *πωλητής*,) praefectos theoricae pecuniae una cum Poletis vectigalium locatione functos esse, nollem Boeckhius l. c. I. p. 209. fin. hac una Pollucis auctoritate probavisset. Dubitavitne postea? Non certe in altera Editione iteravit ea, quae in prima ediderat p. 198, ideo, scilicet, videri iam ab initio theoricae pecuniae magistratum sic Poletis adiunctum fuisse, quod reliqua e *διοικήσει* deberentur *τῷ θεωρικῷ*, sed in primis et multo etiam magis eo pertinuerint bona publicata; igitur ne necesse quidem esse illam muneris societatem definire illis temporibus (de quibus loquitur Aeschines in Ctesiphontea), quum universam administrationem invasissent *οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι.* Nempe res reclamat ipsa: siquidem Poletae nomine et auctoritate Senatus isto officio vectigalium aliorumque vendendorum fungebantur, quae

omnia attingebant τὸν πόρον τῶν χρημάτων, eiusque rationes conficiendas; contra theoricae pecuniae praefecti, ceterique omnes magistratus et potestates, quorum illi per breve tempus munera tenuerunt, τὴν διοίκησιν habebant, i. e. pecuniam ex aerario erogabant, δημόσια χρήματα διεχείριζον· neque cum his postremis confundi oportere Poletas, si quando apud ipsos pecunia aerario debita solveretur, quippe quam statim Apodectis tradere necesse erat; cuius generis alia explicat Boeckhius. (Seewesen p. 543. sq.)

An defendit Pollucem fortasse id, quod relinquitur in Inscriptione apud C. O. Mullerum De Munimentis Athen. p. 34. vs. 36? ubi est, οἱ πωληταὶ καὶ ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει Ἄβρων Λυκούργου Βουτάδης. Non puto. Pretiosissimum illud monumentum continet contractum μισθώσεως, legesque et descriptionem operis locandi, nempe murorum reficiendorum: itaque neque τέλος erat, quod per unos Poletas locari oporteret, neque omnino ad reditum civitatis, sed ad expensas publicas pertinebat, ἐκ τῆς διοικήσεως faciendas. Quos sumtus quum illis temporibus τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει facere oporteret, opusque locari, ut videtur, solitum esset, nihil mirandum eum magistratum in ea re Poletarum ministerio usum esse, ipsumque auctorem negotio praefuisse.

Sed hoc quoque vix in Polluce probandum est, quod dicit, unum de Poletis fuisse prytanem, ὃς τὰ πωλούμενα βεβαιοῖ. Neque enim Poletae, qui non nisi nomine Senatus ista vectigalium locatione fungebantur, ullam corrigendi potestatem habere potuerunt: contra, quod de se exemplum commemorat Andocides Myster. p. 66 (ἐπεὶ δ' οὐκ ἀντωνεῖτο οὐδεὶς, παρελθὼν ἐγὼ εἰς τὴν βουλὴν ὑπερέβαλλον, ἕως ἐπριάμην), efficit, credo, et confirmationem et correctionem istarum locationum penes Senatum fuisse: vix enim credibile est, quum εἰς τὴν βουλὴν diceret, voluisse eum, in Poletarum consessum.

§ 2.

De praediis publicis Atheniensium.

Satis diligens enumeratio eorum, unde reditus publici petebantur Athenis, continetur hoc loco Aristophanis, Vesp. 657. sqq.

τὸν φόρον ἡμῖν ἀπὸ τῶν πόλεων συλλήβδην τὸν προσιόντα,
κἄξω τούτου τὰ τέλη χωρὶς καὶ τὰς πολλὰς ἑκατοστάς,
πρυτανεῖα, μέταλλ', ἀγοράς, λιμένας, μισθοὺς καὶ δημιόπρατα.

De reliquis nunc agere mihi propositum non est, nisi quod τελῶν appellatio, qua istae ἑκατοσταὶ continentur, mihi seiuncta esse videtur a sequentibus quae enumerantur, neque huic rationi adversari eam τελῶν interpretationem, quam Boeckhius demonstravit Oecon. Civ. I. p. 651.

Sed μισθοὶ, quos eodem modo segregandos esse existimo a vectigalibus, qui fuerint, quaerendum est. Boeckhius l. c. I. p. 409. not. a. agnoscit difficultatem, sed non decernit utrum stipendia militum Atticorum, quae praeter tributa ab exteris civitatibus deberentur, an pensiones agrorum (publicorum) sint intelligendae. Harum suspicionum priorem improbandam esse nemo, puto, dubitabit, qui reputaverit, si quando, et rarissime quidem, istud factum sit, non posse hoc in ordinariis civitatis reditibus numerari. Sed ne alteram quidem integram accipere licebit; quibus de causis, statim explicabo: et verbo tantum hoc reprehendo in Boeckhio, quum dicit »μισθοὶ pro μισθώσεις, non esse contra Graecitatem:" equidem pro explorato habeo μίσθωσιν φέρειν dici de conditione et iure eius qui conduxerit, μισθὸν contra de singulis, quae statis temporibus penduntur, pensionibus: itaque Aristophanem, ne si per metrum quidem licuisset, dicere potuisse μισθώσεις.

Cum Aristophanis auctoritate iungendus est Demosthenes, qui Timocrat. p. 713. 3. ex legis formula haec citat: περὶ δὲ τῶν ὠνουμένων τὰ τέλη καὶ τῶν ἐγγυωμένων καὶ (add. τῶν) ἐκλεγόντων, καὶ τῶν τὰ μισθώσιμα μισθουμένων καὶ τῶν ἐγγυωμένων, τὰς πράξεις εἶναι τῇ πόλει κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους. Quaerendum igitur, cuius generis fuerint ista μισθώσιμα, quorum locatio praedes postularet. Non satis definite respondet Boeckhius l. c. p. 414, publica civitatis et pagorum aut templorum bona partim constitisse pascuis, partim silvis, partim agris, aedibus, salinis, aquis, fodinis, similibusque: et nescire se ait, quantum ex illis, quae enumeravisset, civitatem attingeret, praeter pagos et templa. De postremis nulla controversia est, satisque tum aliunde, tum ex Inscriptionibus cognitum est cuius generis bona, quae locari possent, in templorum aut in pagorum fuerint dominio, et, quod ad templa quidem attinet, hos reditus sacris ornandis celebrandisque fuisse destinatos. Sed, ut hoc quoque praeteriens dicam, perperam huc traxit Boeckhius locutionem ἀπὸ μισθωμάτων, sequiturque falsam Didymi interpretationem apud Harpocrationem v. ἀπὸ μισθωμάτων. Ipse Isocratis locus (Areopagit. cap. 11.) cui interpretando ista destinata sunt, erroris arguere poterat, et

dudum verum viderunt Valesius et Coraës, nimirum eam sordidam parsimoniam significari, ut sacrorum sumtus non ex aerario laute tolerarentur, sed per licitationem ei curanda praestandaque relinquerentur, qui minimo pretio recepisset; in quo negotio id, quod a conductore praestandum erat, μίσθωμα vocabatur, quo vocabulo, insidiose persequens adversarium, Demosthenes utitur F. L. p. 379. 20. Defendit nihilominus Didymi illam interpretationem Boeckhius alio loco p. 296. not. a., contenditque Grammaticos in Lex. Seg. v. ἀπὸ μισθωμάτων veram huius locutionis vim non amplius intellexisse. Equidem parum curandum arbitror quid isti intellexerint, aut ignorarint, multoque mihi gravior videtur ipsius sermonis lex et analogia. Tum non concedo viro praestantissimo, exemplum sacrorum ἀπὸ μισθωμάτων exstare in Decreto Plotheensium (C. I. n°. 82.) Primum, locutio ipsa non usurpatur in illo monumento: res autem diversissima diversa, ut necesse erat, hac locutione indicatur: ἀπὸ τοῦ τόκου καὶ τῶν μισθώσεων, ἀντὶ ὅτου τὰ τῶν Ἀλαιῶν ὠνήματα ἢ μίσθωσιν ὠνηθέντα, θύειν τὰ ἱερά. In his nihil est, nisi quod perpetuo et de more fieret, fierique necesse esset, ut sacra procurarentur ex reditibus templorum: neque contendet, puto, Boeckhius, nihil interesse, utrum ἀπὸ μισθώσεων

an ἀπὸ μισθωμάτων dicatur. Hoc concedo, μίσθωμα per se non necessario coniunctum esse cum ea licitatione qua locatio uni e pluribus licitantibus tribuitur: sed, tum ipsum vocabulum indicat pretium aut mercedem praestitae operae aut officii; tum in Isocratis loco periret omnis oppositio, si ἀπὸ μισθωμάτων esset ἐκ τῶν τεμενικῶν προσόδων, nisi ostendatur (quod fieri posse non arbitror) hoc postremum necessario ad sordidam parsimoniam in sacris procurandis pertinuisse. Retinet suam interpretationem Boeckhius in Correctionibus quae Indici praemittuntur p. V.

Ipsa civitas autem quae et qualia habuerit in dominio, quae locationi destinarentur, fortasse conficiat quis ex Xenophonte Vectig. IV, 19, ubi haec dicuntur: μισθοῦνται γοῦν καὶ τεμένη καὶ ἱερὰ καὶ οἰκίας, καὶ τέλη ὠνοῦνται παρὰ τῆς πόλεως. Istud ἱερὰ merito Boeckhius p. 417. not. b. obscurum esse dicit: sed multo magis lucet eius suspicio, quam subiicit: et satis manifestum est, ex iis quae sequuntur apud Xenophontem (ὅπως γε μὴν τὰ ὠνηθέντα σώζηται κτέ.), sermonem esse de iis, quae utenda, per locationem, conceduntur aliis, non de redimendo incerto reditu. Sed quoniam in illis verbis τὰ τέλη ita civitatis propria esse indicantur, ut in prioribus de templorum tantum bonis mentionem fieri credibile sit, haud

inepte quis suspicetur, delenda esse καὶ ἱερά· simile additamentum damnarunt viri docti in Xenoph. Hellen. VI, 5, 27. De τεμενῶν locatione, vel quae pagorum, vel quae templorum essent, satis constat ex Inscriptionibus: sed οἰκιῶν quoque locatio cognita nobis est e Marmore Sandvicensi (C. I. n°. 158. T. I. p. 257. a.), non tamen ut eae civitatis fuerint, sed templi Deliaci, cuius rationes redduntur istic ab Amphictyonibus: conf. Meier. Bon. Damn. p. 216. Praeterea vix cogitari potest domos in civitatis dominio fuisse, quae ante fuissent privatae: bonorum publicatione accedere sane nonnumquam poterant templorum dominio, sed, quae civitatis nomine publicabantur, eorum pretium aerario cedebat, ipsa rursus fiebant privatorum, quae ratio servabatur in δημιοπράτοις. Caute igitur mihi videtur idem Meierus Lit. Att. III. p. 530. extr. domos locandas assignasse templis, non civitati.

Nec minus τεμενῶν μισθώσεις a publicis civitatis rationibus excludendae sunt. Non demonstrant verba ex lege apud Demosthenem Eubulid. p. 1318. 20. τεμένη in civitatis dominio fuisse, sed potius pagi. Quid de alio loco statuendum sit, fateor me nescire: Macart. p. 1069. fin. τοὺς δὲ μὴ ἀποδιδόντας τὰς μισθώσεις τῶν τεμενῶν τῶν τῆς θεοῦ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν καὶ τῶν ἐπωνύμων ἀτίμους εἶναι κτέ. Nihil mihi persuadet Schae-

ferus ad h. l.: suntque ista tam aliena ab argumento, quod in lege, cui subiiciuntur, tractatur, neque quidquam coniuncta cum ipsius Oratoris disputatione, ut ne excogitari quidem possit, cur hic adscripta sint. Sed praeterea, quae sunt illa *τεμένη τῶν ἐπωνύμων*? Valde exspecto, qui mihi ista expediat.

In ipsa Attica quo modo civitas ipsa, *ἡ πόλις*, vel agrum publicum, vel aliud quodcumque genus praediorum tenere potuerit, unde *μισθώσεις* haberet, nondum mihi perspectum est: contra, in templorum dominio, et in singulorum Demorum, quae vetustissimae erant in Attica societates, ex vetere occupatione talia fuisse, et per se intelligitur, et perspicua documenta demonstrant. Minime cum publici agri fructibus confundendum est id, quod apud Andocidem Myster. p. 45. narratur. Non tantum, ut ex sequentibus apparet, *τέλος* est de quo agitur, sed, quocumque modo locum satis obscurum et fortasse corruptum interpreteris, *ἐπικαρπίας* vocabulo non nisi certum vectigal e fructibus indicari poterit, et prorsus ex libidine Boeckhius p. 415. not. d. *ἐν τῇ γῇ* intelligit quasi additum esset *δημοσίᾳ*. Quidni enim privatorum agris eiusmodi vectigal impositum fuisse possit? Et Aristoteles quidem Oecon. II. p. 1346. 3. *ἐπικαρπίαν* et *δεκάτην* eodem loco

ponit. Contra, de agris, quos civitas in Euboea locavisset (secundum Aelianum V. H. VI. 1.), concedi oportet: sed erat hoc extra Atticam, et iure victoriae partum, quemadmodum Lacedaemonii Plataeensium agrum publicatum locaverunt: Thucyd. III, 68.

Ne hoc quidem arguit ipsius civitatis fuisse quaedam *τεμένη*, quod tam *ἱερὰ* quam *ὅσια χρήματα* ad *διοίκησιν* pertinuisse traduntur, cuius penes Senatum summa erat auctoritas, quodque civitatis nomine *ἱερὰ* quoque *διοίκησις* erat: conf. Demosth. Timocrat. p. 730. 24. Domos fuisse civitatis, quae locarentur, alio loco Boeckhius p. 198. sumit, ut defendat id, quod apud Ammonium et Thomam Mag. traditur, *μισθοὺς* et *ἐνοίκια* solvi *κατὰ πρυτανείας*. Eone confugiendum est in controversia impedita? Provocat adeo Boeckhius ad Inscriptionis valde mutilum fragmentum, quod Pittakesio debemus, Ephem. Archaeol. n°. 157, sed in quo neque *οἰκίας*, neque *χωρίου*, de cuius locatione conductione cogitasse videtur, ullum vestigium deprehenditur, sed deprehendo tum *καρποῦσθαι*, tum *ἐργασία*, tum *κομίζεσθαι*, quae, si divinationi indulgere liceret, melius multo ad foenerationem et ad pecuniam commodatam quaestui faciundo destinatam referrentur. Postremo, quod apud Thucy-

didem VI. 91, ab Alcibiade praedicantur Atheniensium ὠφέλειαι ἀπὸ γῆς, equidem cum aliis ad vectigal, agris impositum (quemadmodum in illo exemplo apud Andocidem), aut, si minus hoc cum Atheniensium institutis convenire existimatur, ad quaecumque alia commoda e libero commeatu urbis cum reliqua regione referre, quam ad agri publici locationes et mercedes. Quod autem minime alienum est a reliquis institutis, vectigal (τέλος) est fructibus impositum; quemadmodum diu ante Hadriani legem (C. I. n°. 355) ex olearum privatarum proventu certam partem aerario, emtionis lege, cessisse non immerito suspicatur Boeckhius: neque tamen inde consequitur oleas in civitatis dominio fuisse.

In primis hoc fidenter affirmari solet, argentifodinas Laureoticas publicas fuisse. Et sane tum apud Aristophanem l. c., tum apud alios quoscumque scriptores distinguuntur μέταλλα a vectigalibus. Tamen dubitari potest, utrum solum ipsum, tamquam praedium, publici dominii esset. Non fuisse privati dominii, confici solet inde, quod neque ἀντίδοσις metalla attingebat, neque eorum nomine εἰσφορὰ definiebatur. Nihilominus diligentius istarum rerum indolem considerantem sic statuere oportebit, metalla ista neque publici, neque privati dominii fuisse, si hanc ap-

pellationem praediis, omninoque rebus tangibilibus vindicare licet. Vendebatur publice non solum ipsum, sed facultas τοῦ ἐργάζεσθαι· neque ista χωρία erant, sed ἔργα· mancipia ipsa, quorum operis utebantur οἱ ἐργαζόμενοι, plerumque aliena erant, et certa mercede conducebantur (Xenoph. Vectig. IV.) Itaque apud Demosthenem Pantaen. p. 967. 16. mutuum praestari dicitur Pantaeneto ἐπ' ἐργαστηρίῳ τε ἐν τοῖς ἔργοις ἐν Μαρωνείᾳ καὶ τριάκοντα ἀνδραπόδοις. Itaque hoc ius, quamquam non dominium, et vendi et locari poterat aliis, et publicari adeo: quamquam de hoc postremo dubitare licet. Obscura certe sententia est horum verborum Demosth. Adv. Phaenipp. p. 1039: νῦν ἐμὲ δεῖ τῇ πόλει τρία τάλαντα καταθεῖναι, τάλαντον κατὰ τὴν μερίδα· μετέσχον γὰρ — κἀγὼ τοῦ δημευθέντος μετάλλου. Si enim ista, quae τὰ ἔργα appellantur, non numerabantur ἐν οὐσίᾳ ea, quae vel ἀντιδόσει, vel εἰσφορᾷ obnoxia esset, ne ἀπογραφῇ quidem deferri poterant ut publicarentur: neque χωρία erant, neque οἰκίαι (qualia posse δημεύεσθαι dicit Demosth. Androt. p. 609. fin.), ne ipsa quidem mancipia necessario cum iisdem coniuncta erant. Ipsa potius verba loci Demosthenici aliud quid postulant. Nam, quum μετασχεῖν dicatur de societate, quam plures ineunt, emendi aut conducendi vectigalis cuiusdam (sicut apud

Andocid. Myster. p. 66.), ridiculum exsisteret hoc, ut orator ille profiteretur socium se fuisse publicationis bonorum suorum. Nihil igitur restat, nisi ut dicamus δημεύεσθαι τὰ μέταλλα tum dici, si publice nova metalla venderentur iis, qui τοῦ ἐργάζεσθαι periculum suscipere vellent. Sic hoc dicit orator ille, ad angustias se redactum esse, quum tria talenta ei solvenda essent in aerarium, emtis tribus partibus metalli. Non contendo hanc interpretationem necessaria demonstratione absolvi posse: sed multo, ut opinor, minus defendi poterit ea, quam Boeckhio probari video (De Metallis Laureot. p. 121. Act. Acad. Boruss. a. 1815). Sumit enim τὰ ἔργα illa civitati cessisse (itaque publicata esse), quae ut iterum sibi vindicaret ille, tria talenta ab eo solvi debuisse. Quaero, quo iure publicari potuerint? Si istius oratoris bona publicata fuerunt, de ἀπογραφῇ cogitandum erit, ipseque, velut ὀφείλων τῷ δημοσίῳ, quacumque de causa, iudicio condemnatus esse debuit. Vix tamen hoc conficere licet ex iis, quae praecedunt; in quibus sane profitetur orator, se ἰδίᾳ μεγάλαις περιπεπτωκότα ζημίαις ἀπολωλεκέναι τὴν οὐσίαν, sed emti (an, ut Boeckhius voluisse videtur, redemti) metalli pretium a se solvendum ita subiicit, nullo modo ut cum praecedentibus coniunctum sit, καὶ τὸ τελευταῖον

νῦν ἐμὲ δεῖ κτέ. Accedit, quod dicit μετέσχον γὰρ, ὡς μή ποτ' ὤφελον, κἀγὼ τοῦ δημευθέντος μετάλλου. Sed, si bonis ex iudicii condemnatione excidisset, ipso iure, nisi fallor, simul excidisset e catalogo τῶν τριακοσίων· tum, nemo, opinor, cum eo metalli emendi societatem iniisset, ad quam ineundam ipse, nisi incolumis, nullo modo accedere potuisset. Nusquam praeterea in hac oratione deprehenduntur vestigia calamitatis, neque quidquam praedicat orator (p. 1045. fin) nisi hoc, se πολλὰ ἀναλωκέναι εἰς τὴν πόλιν, μικρὰν οὐσίαν παραλαβόντα παρὰ τοῦ πατρός. Ne Diphili quidem metalla publicata fuisse memorantur, quum leges metallicas violavisset, sed bona eius: Plutarch. Vit. Lycurg. p. 843. D. Necdum concedo Boeckhio, si bene eius mentem perspicio, per Lycurgum ipsa Diphili metalla fuisse publicata: I. p. 228. fin.: nihilque eius generis probatur eo, quod τὸ Διφίλειον καλούμενον (μέταλλον) exstat C. I. n°. 162.

Redeat igitur disputatio eo, unde profecta est. Quare mihi publicari τὰ ἔργα potuisse non videatur, hoc est, quod, quamvis in rerum commercio essent, et tum vendi, tum locari, tum quacumque alia ratione tradi alienarique potuerint, tamen in cuiusquam οὐσίᾳ non numerabantur. Non tantum enim eorum nomine, tanquam si κτήματα essent, nulla liturgia, neque εἰσφορὰ aut triërar-

chia imponebatur, sed ne in ἀπόφανσιν quidem τῆς οὐσίας includi ea lex permittebat (Demosth. Phaenipp. p. 1046, init. τὸν νόμον τὸν οὐκ ἐῶντα τῶν ἐν τοῖς ἔργοις οὐδὲν ἀποφαίνειν). Hinc sane conficit Boeckhius (Metall. Laureot. p. 111.) non fuisse ea in libero privatorum dominio (κτήματα); sed, quod addit, ideo fuisse publici dominii, falsum consectarium est. Sed prius expediendus est locus Aeschinis Timarch. § 101. Bekk. Demonstrat Orator, praeter ea praedia, quae Timarchus ex paterna hereditate vendidisset, pecuniam quoque satis amplam in ea hereditate esse debuisse: patrem enim Arizelum ipsum, exceptis illis quae postea filius vendidisset, vendidisse alia: φοβηθεὶς γὰρ τὰς λειτουργίας, inquit, ἀπέδοτο ἃ ἦν αὐτῷ κτήματα, ἄνευ τῶν ἀρτίως εἰρημένων, χωρίον Κηφισίασιν, ἕτερον Ἀμφιτροπῆσιν, ἐργαστήρια δύο ἐν τοῖς ἀργυρείοις. (sic locus et legendus et distinguendus est, spreta altera lectione χωρίων, et deleto ἀγρὸν post ἕτερον.) Ideone ista ἐργαστήρια in κτημάτων numero habenda sunt? Non puto, multoque magis ἐργαστήρια distingui ab illis existimo. Hinc in eadem Oratione § 105, de praediis emendis κτήσασθαι, ut aequum erat, usurpatur, de ἐργαστηρίοις contra dicitur εἰς τἀργυρεῖά τι κατασκευάσασθαι, cuius locutionis haec mihi vis esse videtur, ut pertineat ad eam pecuniae collo-

cationem, per quam *οὐσία* fieret *ἀφανής*. (Contra, Plutarchus Nic. cap. 4. *κεκτῆσθαι* usurpat). Propterea non indigere suspicor Aeschinis verba ea excusatione, quam excogitavit Boeckhius l. c. p. 136. Non ignoro alia *ἐργαστήρια* numerari in *οὐσίᾳ*, veluti in patris Demosthenis bonis (Contr. Aphob. p. 816. init.): sed ea eiusmodi esse censebantur, quae certo numero operarum, et materia praeterea instructa essent: contra, si quod *μέταλλον* quis emisset, nihil aliud nactus erat praeter facultatem *τοῦ ἐργάζεσθαι*. Quid, quod ipsa *μέταλλα* nulla erant, antequam vendita privatorum operae et industriae cessissent. Neque usquam legimus civitatem ipsam istis *ἔργοις* functam esse: nihil facit, nisi, quod Xenoph. Vect. IV. 12 dicit, *παρέχει ἐργάζεσθαι ἐν τοῖς μετάλλοις*. Reditus inde civitati nullus alius erat, nisi e privatorum industria; ipseque Xenophon nihil aliud commendare potuit, nisi ut publice mancipia emerentur, quorum operae locarentur *τοῖς ἐργαζομένοις*: (quo loco, § 22, ubi dicit, vanum esse metum fore, ut privati locandis mancipiis publicam illam locationem impedirent, hoc commemorat: *πολλὰ γάρ ἐστι τὰ ὑπάρχοντα*, in quo Weiskii interpretatio ferri non potest, corrigendumque est *τὰ ἀργοῦντα*, *in quibus ab opere cessatur.*)

Nonnihil, ut puto, meam sententiam, metalla

non fuisse publici dominii, sicut agrum publicum, confirmat indoles eius actionis, cuius memoriam servarunt veteres Lexicographi, appellaturque apud Suidam et Zonaram ἀγράφου μετάλλου δίκη, (quam tamen recte Meierus Lit. Att. III. p. 354 inter γραφὰς δημοσίας numerat.) eiusque non oblitus est Boeckhius Metall. Laur. p. 128 fin. sq. Nempe, quum ea dicatur institui potuisse κατὰ τῶν λάθρᾳ ἐργαζομένων μέταλλον, quumque necesse esset eos, qui καινοῦ ἔργου ἄρξασθαι vellent, hoc apud magistratus (suspicor, apud Senatum) profiteri, et ἀπογράφεσθαι, quo constitueretur legitimum eius negotii vectigal; hinc apparet, ista actione iniuriam civitati aut aerario factam vindicari. Inde autem, quod, quemadmodum ex inedito Harpocratione excitavit Taylorus in Praefat. ad Midianam, προβολὴ quoque in ea re moveri poterat, conficiendum mihi videtur et publicum istud delictum habitum fuisse, et ipsum ἀγῶνα fuisse τιμητόν. Non tamen de ipso domino metalli controversia erat, sed de fraude per quam iacturam faceret aerarium: neque concedo Boeckhio l. c. p. 132., in actione ἀγράφου μετάλλου quaeri de surrepto publico dominio; quod si esset, excogitari debuisset alia actio, quae responderet ei, quam in privatae possessionis occupatione privati instituere poterant ἐξούλης.

Omnino verissime profitetur Meierus Lit. Att. III. p. 490, frustra quaeri definitionem *dominii*, quale Attici habuerint: sed, quaecumque inveniatur, demonstrari posse non puto, in Attica ipsa praedia cuiuscumque generis in publico civitatis dominio fuisse: et de potestate quam in metalla sibi vindicaverat civitas, haud ineptam similitudinem usurpare mihi videtur Tittmannus Darst. d. Griech. Staatsverf. p. 39, qui eam cum hodiernis Regalibus confert.

Ne hoc quidem omittendum est, libello Xenophonteo De Vectigalibus multa commendari, quae secutos esse Athenienses nusquam constat, contra vehementer dubitare licet. Vult enim scriptor prudentissimus *ἀφορμὴν* colligere civitatem, eamque ita *κατασκευάζεσθαι*, ut tum *οἰκήσεις* et *πωλητήρια*, mercaturae commodis destinata, publice aedificentur (III. 13), tum ingens mancipiorum numerus coematur, et *οἰκίαι περὶ τἀργύρια δημόσιαι καὶ κάμινοι* parentur (IV. 49); quem postremum locum nollem a Boeckhio l. c. p. 117. ad perpetuos metallorum reditus relatum esse. Si quae aedificia publico sumtu aedificarentur, non praesentis quaestus aut reditus spe fiebat, sed quo civium ac peregrinorum vel negotiis gerendis vel voluptatibus prospiceretur; eoque pertinuit Lycurgi administratio, et

hoc est quod Dinarchus Contr. Demosth. § 96. quaerit, τί κατεσκεύακε Δημοσθένης οἰκοδόμημα ἐν τῷ ἐμπορίῳ τῷ ὑμετέρῳ ἢ ἐν τῷ ἄστει ἢ ἄλλοθί που τῆς χώρας; conf. Xenoph. Rep. Athen. II, 10.

Restat, ut verbum dicamus de lautumiis, de quibus Boeckhius l. c. I. p. 422. profitetur nusquam se reperisse unde pateret, utrum ad reditus publicos pertinuerint. Non dubitasse videtur Rossius, qui ipse earum reliquias lustravit in Pentelico, Brilessi. Hic igitur, quum in parietibus compluribus locis inscriptum animadverteret ὅρος, addito subinde nomine proprio, confecit inde lautumias publici dominii fuisse, istaque indicia habenda esse, quibus declararetur quae partes quibusque a civitate venditae aut locatae essent: tum excitat Xenophontis testimonium Vectig. I. 4, quo demonstret reditum publicum fuisse e lautumiis: Kunstblatt. a. 1837. p. 11. Invitus discedo a viro praestantissimo, cuius doctissimis libris permultum me debere profiteor: sed ne Boeckhium quidem concessurum suspicor, ex eiusmodi inscriptionibus, quarum in oppignerandis privatorum fundis usus esset, tuto confici posse, quibus eae impositae essent e publico dominio fuisse profecta: in Xenophonte autem interpretando aberrat a vero, qui loco indicato

de publico reditu ne verbum quidem, sed tantum de soli Attici divitiis loquitur.

Occurritur nobis fortasse ab iis, qui contendant decumas tamen ad publicum civitatis reditum pertinuisse, itaque has e publicis agris aut praediis fluxisse. Video ita sentire Boeckhium, qui duobus locis loquitur de decumarum reditu e publico dominio. Primum I. p. 408. recte quidem negat decumarum vectigal, neque Athenis neque in reliquis liberis Graeciae civitatibus obtinuisse, sed excipit bona vel templorum, vel publica civitatis: tum ibid. p. 444, hoc ita explicat, decumas solvi non tamquam tributum privatorum bonis impositum, sed ab iis praediis exigi, quae publici dominii essent. Videamus tamen, quo fundamento totum hoc, de decumis quae publico aerario deberentur, nitatur. Unam huius rei mentionem sibi hucusque cognitam esse profitetur Boeckhius p. 415. not. c., ex inscriptione (Beil. III. § 3. C. I. n°. 76.) cuius verba haec sunt: *ἀποδι[δό]ναι δὲ ἀπὸ τῶν χρημάτων ἃ ἐς ἀπόδοσίν ἐστιν τοῖς θεοῖς ἐψηφισμ[έ]να τά τε παρὰ τοῖς Ἑλληνοταμίαις ὄντα νῦν καὶ τἄλλα ἅ ἐστι τούτων [τῶν] χρημάτων καὶ τὰ ἐκ τῆς δεκάτης ἐπειδὰν πραθῇ*. Cuncta istius generis monumenta admirabili sagacitate explanare solet Boeckhius: tanto magis miror eum hoc loco simplicem ac

facilem interpretationem praetervidisse. Agitur in illo psephismate de reddenda pecunia, quam civitas debebat τοῖς θεοῖς, (de quo genere debitorum breviter monuit Boeckhius l. c. p. 766. fin.) ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς [τ]ὰ χρήματα τὰ ὀφειλόμενα, § 2: dein § 3 dicitur ex qua pecunia publica debitum esset solvendum, id est ex quo aerario, adiiciturque καὶ τὰ ἐκ τῆς δεκάτης. Hoc igitur postremum ita intelligere videtur Boeckhius, quasi publicus reditus ipse indicaretur unde debitum esset solvendum, quodque inde rediret totum deberetur Diis. Sed primum huiusmodi quid decernere noluerunt; tantum decreverunt ex praesenti pecunia solvendum esse: tum otiosissimum erat indicare fontem unde copiae illae manare exspectarentur, et nulla causa erat cur δεκάτην potius quam aut πεντηκοστὴν aut quodvis aliud vectigalis genus indicarent: postremo, hoc si voluissent, dicendum fuisset, καὶ ἀπὸ τῶν ἐκ τῆς δεκάτης: neque enim hic ipse reditus, si publicus civitatis fuisset, debebatur Diis. Quantum praestabat agnoscere, in his postremis hoc significari, praeter reliqua debita quae solverentur, quorum tabulas (πινάκια καὶ γραμματεῖα) sacerdotes et ἱεροποιοὶ exhibere poterant, ideoque erant expuntanda (§ 5), et in quibus, ut suspicor, per aliquod tempus quum alii templorum redi-

tus, tum decumae fuerant, quorum omnium, quum per civitatis magistratus accepta nec templorum aerario reddita essent, nunc dissolutio iuberetur, hoc quoque adiici, postremae δεκάτης, quae nondum locata aut vendita esset, sed cuius fructus de more et perpetuo instituto Diis deberetur, pecuniam reddendam esse. Cuius generis esset illa δεκάτη, quae vel τῇ Ἀθηναίᾳ, vel τοῖς θεοῖς deberetur, et cognitum satis est, et ipse Boeckhius compluribus locis luculenter exposuit.

Minus in hoc argumento, ut puto, dubitabunt viri docti, si meminerint templorum fuisse quidem ταμίας, qui sacram pecuniam reliquamque supellectilem servarent, sed reditus ipsos per publicos civitatis magistratus procurari et percipi solitos fuisse, unde tamen non consequi nec τῶν τεμενῶν, nec τῆς δεκάτης reditus publicos fuisse: neque Boeckhio concedam, quum docet (p. 414) civitatem ipsam dominam sacrorum bonorum fuisse existimandam. Si ista omnia publica fuissent, quid oportebat Periclem apud Thucydidem II, 13 cives monere, copiis illis, quae in templis servarentur, extrema necessitate coactos uti posse, sed rursus restituendas esse?

Paucis igitur hanc opinionem meam comprehendo; ex ipsa civitatis Atheniensium origine et

compositione hoc necessario consequi, ut nihil esset in dominio τοῦ κοινοῦ, quod quidem reditum aerario ferret, sed omnia vel in privatorum, vel in pagorum, vel in templorum fuisse dominio: tum, quod huic sententiae adversari videatur, sana interpretatione posse superari.

§ 3.

De Pentecoste et Pentecostologis.

In longe plerisque quaestionibus eum delectum servare solet Boeckhius auctorum indicandorum, ut prorsus inutilia quae sunt recto iudicio omittat. Sed, si quid eius generis tamen haesisset in priore editione, abiiciendum fuerat in altera. Veluti, ubi de Pentecostologis disputat, Vol. I. p. 426, de his conferendum esse adnotavit Athenaeum III. p. 49. C. Sed quid, quaeso, conficiendum est ad rem illustrandam ex his Eubuli Comici verbis? *τρίποδες οὗτοι πέντε σοι Καὶ πέντε. πεντηκοστολόγος γενήσομαι.* Ne ex iis quidem quae Meinekius composuit, Fragmm. Com. Gr. III. p. 267 quidquam aliud intelligitur, nisi poetam ludere in saepius commemorato quinario numero.

In argumento haud dissimili, quum suspicatur Boeckhius; l. c. p. 432. praeter quinquagesimam mercium vel importandarum vel exportandarum,

exactum fuisse ἐλλιμένιον quoddam pro usu ipsius portus, excitat auctoritatem Eupolidis apud Pollucem IX, 30, ἐλλιμένιον δοῦναι πρὶν εἰσβῆναί σε δεῖ. Sed primum non negligendum hoc erat, licuisse Comico poetae vocabulum usurpare, quod sane omnes intelligerent, nec tamen ad publica civitatis instituta pertineret. Tum, non recte Boeckhius εἰσβῆναι non nisi de conscendenda navi intelligi posse dicit: quod ipsum si in Eupolide intelligendum esset, sero sane portorium istud exigeretur. Sed abuti suspicor Comicum ista locutione in meretrice fortasse, quae aliquem intromissura esset. Nec magis probabilis est eius coniectura de loco Xenoph. Rep. Ath. I. 17, ubi dicitur, ex eo, quod socii iuris consequendi causa Athenas venire cogerentur, ἡ ἑκατοστὴ τῇ πόλει πλείων ἡ ἐν Πειραιεῖ. Etenim, quoniam eiusmodi ἑκατοστὴ necessario ad pretium mercium importandarum referetur, in hominibus autem advenis ipsis cogitari nullo modo poterit, nihil aliud per eam efficeretur, nisi ut augeretur τῆς πεντηκοστῆς vectigal. Difficile est certi quid statuere: sed haud absurde fortasse hoc fingere licebit; postquam sociorum φόρος commutatus esset in εἰκοστὴν (Thucyd. VIII, 28), hoc onus ita mitigatum fuisse, ut socii, quas merces domo allatas in Atticam importarent navibus, his

non πεντηκοστὴ, sed ἑκατοστὴ tantum imponeretur. Nusquam, fateor, huius disciplinae vestigium deprehenditur: sed ea et aequa fuisset sociis, et utilis ipsi Atheniensium civitati, neque aliena ab imperii vinculo et auctoritate quo in socios utebantur. Equidem non mirer huiusmodi quid explicare voluisse Scholiastam Aristoph. Vesp. 658 (de quo desperat Boeckhius l. c. p. 438. init.), ubi poeta arctissime coniungit τὰ τέλη et τὰς πολλὰς ἑκατοστάς: quamquam verba obscura satis sunt haec, ἑκατοστὰς δὲ τὰς ὑπὲρ τοῦ τέλους χορηγουμένας ἀπὸ τῶν πόλεων, fortasse tamen, in illa Scholiastarum Graecitate, ὑπὲρ τ. τ. licebit explicare quasi dixisset ἀντὶ τ. τ.

Postremo, cavendum est ne ἐλλιμένιον, quale Boeckhius vult, indicari existimemus apud Xenophontem Vect. IV. 40. ubi de incremento publicorum redituum pacis tempore exspectando haec dicit: ὅσα δ' ἂν ἐφευρίσκῃ (τὰ τέλη) διὰ τὸ εἰρήνην τε εἶναι — καὶ διὰ τὸ πλειόνων συναγειρομένων ἀνθρώπων πλείω εἰσάγεσθαι καὶ ἐξάγεσθαι, καὶ διὰ τὸ ἐν λιμένι καὶ τὰς ἀγορὰς αὐξάνεσθαι κτέ. (in quibus posterius διὰ delendum videtur). Nam, sicuti aliis locis, λιμὴν de ipso vectigali τῶν εἰσαγομένων καὶ τῶν ἐξαγομένων dicitur, quemadmodum ἐμπόριον· Xenoph. Hellen. IV, 2, 16. conf. Boeckh. Oecon. Civ. Ath. I. p. 425.

§ 4.

Quid sint ἐπώνια.

Non longe discedimus ab argumento, quod modo explorabamus, si quaerimus de iis, quae a Boeckhio traduntur Oecon. Civ. Ath. III. 5. fin. p. 438 sqq. Hic enim tum ἀγορὰν contendit fuisse vectigal ipsis rebus venalibus impositum, confertque cum hodiernis *accisis;* tum praeterea ἐπώνιον exactum fuisse, si bene eius disputationem sermonemque intelligo, ab emtoribus in foro: videoque Hermanno quoque Lehrb. I. § 126. 8. in mentem venisse, posse hoc cum *accisis* conferri. Dura profecto vitae victusque conditio Athenis fuisse ita fingitur, si non tantum quinquagesimae vectigal mercibus importatis impositum fuit, sed praeterea primum ab iis qui venderent in foro, tum ab iis qui emerent, aliud earumdem rerum vectigal exigeretur. Quis haec probare poterit? Sed primum istud ἀγορᾶς tributum non mercibus, sed cauponis impositum erat, quod nunc demonstrare in animo non est. Alterum potius, quid sit ἐπώνιον (Harpocrationi ἐπωνία), quaerere lubet. Haud iniuria incredibile videtur Boeckhio, fuisse τὴν πεμπτὴν pretii mercium, quam emtor scilicet, vectigalis nomine,

pendere debuisset. Nusquam aut vocabulum, aut rem ipsam me invenisse memini, praeterquam apud Grammaticos, qui tamen ipsi idoneos auctores secuti videntur. Videamus an ex iis quae servarunt conficere aliquid liceat, quod et rationi consentaneum, nec alienum sit ab reliquis Athenarum institutis. Lex. Segu. p. 255: *ἐπώνια καὶ κηρύκεια: ἐπώνια μὲν τὰ ἐπὶ τῇ ὠνῇ προσκαταβαλλόμενα, ὥσπερ εἰκοσταί τινες· κηρύκεια δὲ τὰ τῷ κήρυκι διδόμενα ὑπὲρ τοῦ κηρύττειν τὰ τέλη πιπρασκόμενα.* Distractae hae explicationes reperiuntur apud Harpocrationem, prior v. *ἐπωνία*, hoc modo, *τέλος ἐστὶ τὸ ἐπὶ τῇ ὠνῇ διδόμενον, εἴη δ' ἂν ἴσως ἡ πέμπτη·* posterior in v. *κηρυκεία*, *ὁ διδόμενος μισθὸς τοῖς κήρυξιν ἐπὶ ταῖς γινομέναις πράσεσιν·* et utrobique auctor affertur Isaeus ex eadem oratione. Pollux VII, 15: *τὰ δὲ καταβαλλόμενα ὑπὲρ τῶν πιπρασκομένων τέλη, ἐπώνια λέγουσι.* Alias nugas non curo. Sed, quum animadverto *ἐπωνίων* et *κηρυκείων* explicationem coniungi, satis hoc iam per se arguere poterat utraque ad idem institutum pertinere locandorum aut vendendorum vectigalium. Accedit verbum *καταβάλλειν*, quod proprium erat eorum, qui vectigalium a se redemtorum pensiones apud Senatum solverent: de singulis, contra, qui quodcumque aerario solverent, *καταθεῖναι* dicebatur. Corri-

gendum autem primum videtur in Lex. Segu. προκαταβαλλόμενα· nec dubito, quin hoc significetur, in vectigalium venditione moris fuisse, ut publicani, qui redemissent, non tantum ἐγγυητὰς praestarent, sed pretii partem quoque statim solverent, in fidem emtionis, quam partem τὴν πέμπτην fuisse, minime modum excedit. Confirmat hoc locutio ἐπὶ τῇ ὠνῇ, id est, cum emtis vectigalibus ista, quae ἐπώνια dicerentur, coniuncta fuisse. Igitur hae fuerint illae προκαταβολαὶ, de quibus Boeckhius agit p. 459. sq.: et in Demosthenis loco, quem vix expedit, Timocrat. p. 731, αἱ τῶν τελῶν καταβολαὶ sunt profecto intelligendae προκαταβολαί· utque reliqua oratio eam, quae requiritur, diligentiam referat, initio suspicor, pro τῶν ἐκ τῶν τελῶν χρημάτων, (quae per se nihil aliud indicare possunt, nisi integrum vectigalium reditum, de quo perabsurdum est dicere eam pecuniam οὐχ ἱκανὴν εἶναι τῇ διοικήσει), legendum esse τῶν ἐκ τῶν τελωνιῶν χρημάτων, quo ipsa illa ἐπώνια significarentur. Praeterea recipienda ex Cod. Vindob. A, cuius collatio penes me est, pro τῶν τελῶν καταβολαὶ, id quod ipsa ratio suadet, τῶν τελωνῶν καταβολαί, quam lectionem e nullo alio Codice commemoratam reperio.

§ 5.

Utrum δοκιμασία ante an post sortitionem instituta fuerit.

Schoemannus, qua est erga me humanitate, non aegre laturum esse certo scio, si iterum ab eo dissentiam. In δοκιμασίας instituto sint sane complura quae nos lateant; sed non decet turbas excitare in iis, quae firmiter defendere licet. Tamen Schoemannus Instit. Iur. Publ. Gr. p. 212. 9, docet sortitionem fieri potuisse post δοκιμασίαν, in Philone Lysiae. Igitur huius Oratoris locum in Philon. § 33. Bekk. alio modo interpretatur, quam quo modo et rei natura, et sermonis proprietas postulat. Verba haec sunt: *μόνος δὴ, ὦ βουλὴ, δικαίως οὐδ' ἂν ἀγανακτοίη μὴ τυχών· οὐ γὰρ ὑμεῖς νῦν αὐτὸν ἀτιμάζετε* (leg. *ἀποδοκιμάσετε* idemque futurum, pro Optativo, restituendum § 31. fin.), *ἀλλ' αὐτὸς αὐτὸν τότε ἀπεστέρησεν, ὅτε οὐκ ἠξίωσεν, ὥσπερ νῦν προθύμως κληρωσόμενος ἦλθε, καὶ τότε διαμαχούμενος περὶ αὐτῆς καταστῆναι μεθ' ὑμῶν.* In his, Schoemannus verba *κληρωσ. ἦλθε* ita explicare videtur, quasi post *δοκιμασίαν* hanc sortitio demum esset instituenda. Sed primum ita omnia fierent *ἄνω κάτω*. Manifestum est enim neminem potuisse *δοκιμάζεσθαι*, nisi qui sorte designatus esset: quem ordinem

Plato quoque servat Legg. VI. p. 765. B.: et erat hoc in iureiurando Senatorio, cuius religione hanc a se suscipi accusationem profitetur orator, § 2, *ἀποφαίνειν εἴ τίς τινα οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν.* Praeterea, non agnovisse videtur Schoemannus, *κληρωσόμενος ἦλθε* non dici de re futura, sed praeteriti vim in his servari, neque cum isto *ἦλθε* aliud participium iungi potuisse nisi futuri: an exspectabat fortasse scribi potuisse *κληρωθεὶς ἦλθε?* Non attinet talia refutare. Verum rerum istarum ordinem paucis verbis indicat Demosthenes Mid. p. 551. init. *βουλεύειν μου λαχόντος, δοκιμαζομένου κατηγόρει.* Tantum nihilominus valuit perversa interpretatio, ut in Wachsmuthiano quoque opere, (Hellen. Alterth. I. 1. p. 257. 1ae edit.) inverso ordine ista proponerentur: id quod tanto minus in hoc viro docto ferendum est, quod in longe plerisque prudens rerum ipsarum et institutorum existimator est, a Schoemanno nihil aliud postulamus, nisi ut Graeca diligenter interpretetur.

§ 6.

De δοκιμασίᾳ Areopagitarum.

Δοκιμασίας illud institutum et late patebat Athenis, et multis partibus perperam intellectum

est a viris doctis. Graviora alias, nunc de levioribus unum alterumque attingam. Veluti, quum constaret in omnibus magistratibus, sive κληρωταῖς, sive χειροτονηταῖς, institui potuisse δοκιμασίαν, (Aeschin. Ctesiphont. § 14. sq.) creditum est in Areopagitis quoque idem servari solitum fuisse. Sed primum neque haec κληρωτὴ, neque χειροτονητὴ erat ἀρχή· tum non cadit δοκιμασία in tribunalia, quique iudicarent ὀμωμοκότες, numquam δοκιμασθέντες appellantur: postremo tollendum leve vitium in loco Plutarchi Pericl. p. 157. A: αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τ' ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι' αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. Abiiciendum est οἱ, intelligendumque iis gestum Archontis munus ipsum fuisse δοκιμασίας loco: conf. Aeschines F. L. § 113. fin. Alio modo corrigendus Heraclides Pont. fragm. p. 4. Köler. εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα ἄρχοντες, ὧν θεσμοθέται, καὶ οἱ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι —: in quibus deleto καὶ, legendum οἳ δοκιμ., sicuti correxisse video Schneidewinum.

§ 7.

De Nomophylacibus.

Nomophylaces, ab Ephialte scilicet institutos, Philochori auctoritate apud Photium Porsoni p. 674. vindicat Schoemannus libr. cit. p. 299. not 3.,

non deserens eam doctrinam, quam dudum ante tenuerat, De Comitt. p. 119, servatam postea a Meiero Lit. Att. I. p. 71. not. Verum non dubitare tantum de Philochori auctoritate, ut fecit Boeckhius, sed fidenter affirmare oportebat traditionem illam ineptissimam esse. Reprehensores et correctores quosdam ferri potuisse non Senatus tantum, sed concionis etiam, in ea civitatis forma, in qua summa rerum omnium penes populum esset! ita ut hunc summo iure Aeschines Timarch. § 7. τῶν νόμων φύλακα appellet. Attigi hoc ad Cic. Legg. p. 659. Non exigui ponderis est id, quod Boeckhius urget, horum nomophylacum mentionem a Philochoro in VII° demum libro factam esse: sed ipsa rei natura tantum non palam loquitur. Ex Aristotelis quidem Politicis, ubi semel iterumque νομοφύλακας appellat, conficitur potestatem eam intelligi in primis aristocraticam. Ne Xenophon quidem Oecon. IX. 14. obscure indicat, eiusmodi institutum Athenis fuisse incognitum: dicit enim ἐν ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν nomophylaces creari, quo modo qui Attici scriptores eius aetatis loquebantur, excipiebant patriam suam: cf. Demosth. Timocrat. p. 744. init.: repudiasse potius videntur istam εὐνομίας laudem prae libertate: Xenoph. Rep. Ath. I. 8: ὁ γὰρ δῆμος οὐ βούλεται, εὐνομουμένης τῆς πόλεως

αὐτὸς δουλεύειν, κτὲ.: eandemque ob causam a Thucydide I. 18. videmus εὐνομίας laudem Lacedaemoni tribui, neque aliter intelligendus Aristoteles Rhetor. I, 1. 4. Polit. II. init. IV, 8.

§ 8.

Quid sit προχειροτονεῖν.

Iterum difficile est Schoemanno assentiri, ubi Comitt. p. 99. sq. explicat, quid sit προχειροτονεῖν et προχειροτονία· eandemque doctrinam servari video ab C. F. Hermanno Lehrb. I. § 129. 3. Ne Harpocration quidem in v. fidenter affirmare audet, sed, ἔοικεν, inquit, Ἀθήνησι τοιοῦτό τι γίγνεσθαι· et tum satis ridiculam proponit coniecturam, quasi, allato in concionem Scto, prius istic suffragia ferri moris fuisset, πότερον δοκεῖ περὶ τῶν προβουλευθέντων σκέψασθαι τὸν δῆμον, ἢ ἀρκεῖ τὸ προβούλευμα. Suspicor eum perperam intellexisse Lysiam, apud quem hoc ὑποσημαίνεσθαι dicit. Quid enim hoc est? ἀρκεῖν τὸ προβούλευμα· cuius nulla vis erat, quum nihil in rebus publicis nisi populi psephismate decerneretur: aut quid hoc, fieri potuisse ut populus nollet σκέψασθαι de Scto? At constat, ni fallor, in suffragia mitti solitum non fuisse, itaque χειροτονεῖν non potuisse populum, nisi prius facta volentibus

dicendi facultate, ut plane contra morem fuerit id, de quo Aeschines narrat F. L. § 65. Nescio an haec reputaverit Schoemannus; qui nihil monens statim Demosthenem citat in Timocratea p. 703, quasi hoc auctore ista Harpocrationis interpretatio defenderetur. Sed de hoc loco mox dicam. Exploremus ante potius Aeschinis verba Timarch. § 22, e quibus hoc efficit vir praestantissimus, *προχειροτονεῖν* usurpari de Proedris qui *mitterent in suffragium;* quamquam satis certa sermonis norma non nisi de iis dicitur, qui ipsi in suffragium eant. Apponam locum integrum: *ἀπαλλαγεὶς γὰρ (ὁ νομοθέτης) τῶν νόμων τούτων, ἐσκέψατο τίνα χρὴ τρόπον συλλεγομένους ὑμᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν βουλεύεσθαι περὶ τῶν σπουδαιοτάτων πραγμάτων. καὶ πόθεν ἄρχεται; νόμοι, φησὶ, περὶ εὐκοσμίας. ἀπὸ σωφροσύνης πρῶτον ἤρξατο, ὡς ὅπου πλείστη εὐκοσμία ἐστὶ, ταύτην ἄριστα τὴν πόλιν οἰκησομένην. Καὶ πῶς δὲ κελεύει τοὺς προέδρους χρηματίζειν; ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ καὶ ὁ κήρυξ τὰς πατρίους εὐχὰς εὔξηται, προχειροτονεῖν κελεύει τοὺς προέδρους περὶ ἱερῶν τῶν πατρίων καὶ κήρυξι καὶ πρεσβείαις καὶ ὁσίων, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπερωτᾷ ὁ κήρυξ »τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων;" ἐπειδὰν δὲ οὗτοι πάντες εἴπωσι, τότ' ἤδη κελεύει λέγειν τῶν ἄλλων Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον, οἷς ἔξεστιν.* Mihi quidem hic locus

ineptis quibusdam emblematis turpatus esse videtur. Quorsum istud, νόμοι, φησὶ, περὶ εὐκοσμίας? Fuerit ista annotatio ad verba praecedentia, τῶν νόμων τούτων. Sed ne ipsum quidem illud, καὶ πόθεν ἄρχεται Oratoris esse potest: quare enim ἄρχεται, quum modo ἐσκέψατο, mox ἤρξατο sit? Quae sequuntur, καὶ πῶς δὲ κελεύει τοὺς πρ. χρ., non tam ad Proedrorum officium, quam ad εὐκοσμίαν referuntur, quae sic servaretur inter concionantes. Ineptissime autem idem praescriptum nunc iterari videtur in verbis προχειρ. κελ. τοὺς πρ., constructione sententiae praepostera, quasi ἐπειδὰν — εὔξηται, nunc demum lex istud Proedris munus imponeret: contra, simplex et vera compositio sententiae, omissis illis verbis, haec est: καὶ πῶς δὲ κελεύει τ. πρ. χρηματίζειν; ἐπειδὰν — εὔξηται, περὶ ἱερῶν κτέ. Nemo ignorat, in isto negotio solemne verbum esse χρηματίζειν, sicut in lege apud Demosth. Timocrat. p. 706. Igitur, servatis illis verbis, quae nobis eiicienda videntur, primum corrumpetur legitimus sententiae enunciandae ordo; tum Aeschinem substituisse credendum est proprio et cognito verbo aliud, nulla de causa; postremo ita explicandum erit istud προχειροτονεῖν, ut constantem sermonis usum pervertamus. Eandem εὐκοσμίαν in illis institutis servandam commemorat

Demosthenes Aristocrat. p. 772. med., tum iterum Aeschines Ctesiphont. § 2, Proedrorum significans munus, τὰς ἐκκλησίας ὀρθῶς διοικεῖν, et § 3. τὰς χειροτονίας ὀρθῶς ἀναγορεύειν, id est illum praescriptum ordinem servare.

Sed Schoemannus, si recte eum intelligo (quod si minus, dedocebit me, certo scio), Demosthenis locum ita excitat, Timocrat. p. 703, quasi istic προχειροτονεῖν eo modo usurparetur, quo modo explicuerat Harpocration. Verba haec sunt: μετὰ ταῦτα γενομένης ἐκκλησίας προὐχειροτόνησεν ὁ δῆμος. Estne hoc, prius suffragium tulisse populum utrum de Scto deliberaturi essent? Concedi nullo modo potest, nec per se, neque in hac narrandi brevitate. Minus etiam probandum, si quis interpretetur prius in illa concione aliis de rebus suffragia lata fuisse. Necessario, quum non subiiciatur ἀναστὰς δὲ Εὐκτήμων, quo modo diversum a praecedentibus quid indicaretur, sed ἀναστὰς E., hoc ipsum continet expositionem istius προχειροτονίας, cuius eventus post enunciatur, p. 704, nempe psephisma factum esse εἰσπράττειν τοὺς τριηράρχους κτέ. Quid igitur est προχειροτονεῖν? Scilicet, quum p. 702. fin., et aliis locis hoc inculcetur ab Oratore, triplici iudicio et sententia damnatos istos esse (sicuti p. 761. ἐν τρισὶν ἐξελεγχθέντας δικαστηρίοις), ni-

hil hoc aliud est, nisi et a Senatu, et a populo in concione, et postea in iudicio de psephismate Euctemonis: et, quemadmodum Senatus erat *προβούλευμα*, confirmandum a populo, ita populi decretum dicitur *προχειροτονία*, ratione habita Heliaeae, per quam vel tolli, vel confirmari poterat, ex *παρανόμων γραφῆς*. Neque inaudita est huiusmodi triplicis in una re sententiae mentio: exemplo est Demosthenis lex trierarchica, Pro Coron. p. 261, ubi dicitur *ἐπεχειροτόνησεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος*, tum in iudicium vocatus Demosthenes absolutus est.

Sed istius loci opportunitate quaerendum etiam est, rectene doceat Schoemannus l. c., ipsum *ἐπιχειροτονεῖν* tam de Proedris dici, ut sit *in suffragium mittere*, quam de populo; nam in Timocratis lege, Demosth. Timocrat. p. 712. fin. esse, *τοὺς δὲ προέδρους ἐπιχειροτονεῖν ἐπάναγκες*. Fieri hoc nullo modo potest, ut constans verbi cuiusdam usus et analogia sic evertantur. Iterantur eadem, ex Timocratis lege, verba p. 727. 12: sed interpretatur ipse Demosthenes p 728. 28, *τοῖς μὲν προέδροις — ἐπάναγκες ἐποίησεν, ὅταν καθιστῇ τις, δέχεσθαι*. Igitur nihil aliud significare poterit *ἐπιχειροτονεῖν*, quod sic Proedris imponitur, nisi ut hi accipiant eum, qui velit sponsores dare, non repellant, quasi contra

leges ageret, sed eos populi probationi proponant; id quod in alia lege, ibid. p. 716. 19. appellatur δοῦναι τὴν ἐπιχειροτονίαν. Restat igitur ut dicamus, ἐπιχειροτονεῖν in Timocratis lege, abusu sermonis de Proedris usurpari, quod proprie concionis esset, quae id Proedrorum auctoritate faceret: nam de ipsorum Proedrorum assensu, quo populi voluntatem comprobarent, quemadmodum Reiskius in Indice interpretatur, cogitari nullo modo potest.

VI.

Emendantur Ciceronis Miloniana et Pisoniana.

In Miloniana sequar novissimam Madvigii recensionem in Orationibus Selectis Duodecim a. 1848, et pauca tradam, quae eximiam eius sagacitatem videntur effugisse.

1, 2. *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat; non usitata frequentia stipati sumus; nec illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro et in iudicio, quamquam praesidiis salutaribus et necessariis saepti sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus.* Praecipua varietas est, quod in Codd. fere legitur *non illa praesidia.* Sed, utrum legatur,

nimis distractae sunt duae illae negationes, (*non — non afferunt*), ut pro affirmatione valeant. Tum, recte alii viderunt, *oratori* delendum esse: dicendum fuerat *nobis*, propter extrema; et mox suo loco recurrit *orator* (*oratori locum*, sicuti legendum est). Sed omnino negatio illa, initio posita, oscitantiae librariorum debetur, eamque respuit ipsa indoles eorum quae dicuntur. Recte usus erat negatione in iis, quae desiderabat; contra in iis, quae aderant, inepte inchoat sententiam. Legam: *et illa praesidia, quae — collocata sunt, hoc afferunt tamen, ut* —. Quum obliteratum *hoc* esset, suppleverunt correctores alium accusativum, *aliquid.*

Ibid. *Sed me recreat — Pompeii — consilium, qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere* cet. In his, neque *putaret*, nec Heumanni *putarit*, quo modo defendi possit intelligo. Constat enim Coniunctivum ita subiici relativo, si ratio indicetur ex qua id, quod praecedat, explicandum sit, tamquam ad confirmandum. Verr. I. 59, 154: *quaerimus etiam, quid iste in ultima Phrygia — fecerit, qui in foro populi Romani pirata nefarius reperiatur:* i. e. maxima scelera ab eo in Phrygia commissa esse ideo non dubitandum

est, quod domi pirata nefarius fuit. Sed in huiusmodi sententia primum requiritur, ut in iis, quorum ratio reddatur, subiectum idem sit atque illud, quo relativum refertur, tum, ut, quod rationis loco ponatur, sit in aperto, deque eo constet. Horum neutrum deprehenditur in Milonianae verbis. Prior enim sententiae pars huc redit, ut dicat: *sed ego recreor Pompeii consilio;* quibus subiicere potuisset, *qui existimem Pompeium putare* —, i. e. propterea quod existimo. Si quis dicat, hoc voluisse Ciceronem: *sed Pompeius consilio suo me recreat*, itaque recte addi, propterea quod putabat —, is rationem adiiceret iis, quae nullam demonstrationem accipiunt, et eiusmodi rationem, quae omnium minime in aperto esset. Postremo excludit illam inter utramque sententiam necessitudinem additum *profecto*, quo qui utuntur, significant affirmare se aliquid sua auctoritate, de quo dubitare alios non sinant. Sic mox, 2, 4: *si umquam* —, *hoc profecto tempore* —. Itaque, quum, quid putavisset Pompeius, rectius coniiciendum esset ex iis quae egisset, (quemadmodum infra 6, 15: *nam, qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putavit*:) nunc fidenter de suo affirmat, *qui profecto nec iustitiae suae putavit esse.*

2, 3. *qui semper genus illud hominum clamoresque maximos pro vestra salute neglexit.* Vehementer miror a Madvigio receptam non esse necessariam Huldrici correctionem, *prae vestra s.* Locum perpetuo habet ea praepositio, ubi e duobus optari significatur, et alterum alteri praeferri: nec altera praep., *pro*, usurpari potest, nisi cum agendi verbo, non cum eo, quo nihil agi indicatur. Quae regula non evertitur exemplo infra 25, 68, ubi *nullum periculum fugere* i. q. omnia pericula adire.

2, 4. *Nam, si unquam de bonis et fortibus viris, si unquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit, si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ut sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent, hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis cet.* In huius sententiae introductione loquitur Orator universe, de omni praeterito tempore, et de omnibus qui ante fuissent iudices, quibus tum opponuntur *hoc tempore*, et *vos*, cuius pronominis ipsa collocatio arguit oppositionem. Itaque in prioribus delendum *vobis.* — In clausula huius sententiae, ex notissima observatione, *que*, in *sapientiamque*, tollendum: cf. infra § 22. init.

3, 8. *Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, quum a C. Carbone, tribuno plebis, seditiose in concione interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret* cet. Vellem explicari mihi, extra hodierni cuiusdam sermonis abusum, quid esset *seditiose interrogare.* Sed praeterea constat, in forensibus certe actionibus, nominibus clarorum virorum addi non solere magistratus, quo functi essent, mentionem, nisi hoc ad demonstrationem pertineat, aut ad augendam vim, sicut 7, 16. et fort. 33, 91. Hinc suspicor, olim hic interpolatum fuisse, ex ad Div. IX, 21, 3. aliisque locis, *tribuno pl. seditioso*, unde postremum in adverbium abierit: nam Orat. II, 25, 106. trib. pl. appellatur Carbo, quod modo ante eius Consulis facta mentio fuerat. Nemo, opinor, illa verba, in hac quidem oratione, requiret. — Mox, *responderit* assumtum est e Bavar. Equidem reducam *respondit.* Eodem modo Indicativus servatur infra 4, 11, *quae vetat:* 16, 42, *qui irascuntur:* 26, 70, *qui legem tulit:* 18, 48, *quem — reliquerat.*

5, 12. Primum *saepissime* mutetur in *saepe*, ut dicitur 3, 7. et 7, 17. — Tum, *caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse*, requiritur sane *esset*, sicuti recte editur infra 6, 15, init. — Tandem, parendum erat Ernesto, qui

quando etiam frequentissimo senatu, pro *q. enim*, requirebat.

6, 14. *aut arma Saturnini — vulnerarunt.* Depravatam orationem correxi ad Legg. III, 9, 20. — Quod autem paulo post dicitur, *crimen iudicio reservavi*, *rem notavi*, facit ut nunc dubitem ipse de mea suspicione in Coeliana 3, 6. (supra Vol. III. p. 286). Nam et infra, 11, 31. est, *senatus rem, non hominem notavit*, et in Coeliana 12, 29, *ut tibi reum neminem proponas*, *res tamen ipsa — accusari potest.*

8, 21. *Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea quod consuetudines victus non possunt esse cum multis.* Concedo ut aliis ista explicatio (*propterea — multis*) aut elegans, aut necessaria videatur; mihi sapere videtur sedulum annotatorem.

10, 27. *Interim quum sciret Clodius — iter sollemne, legitimum, necessarium ante diem* XII *Kalendas Febr. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat Dictator Lanuvii Milo, —.* Postulabatur sane *quod esset:* sed non corrigemus, verum haec quinque postrema vocabula, utpote manifesto a Scholiasta profecta, eiiciemus: ad eundemque fontem remittemus verba, in proximis, *quae illo ipso die*

habita est. Simili interpolationi debetur hoc, quod § 29, post *fecerunt id*, additur *servi Milonis.*

13, 35. Ecce, iterum deprehendimus ineptum emblema horum verborum, *reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad vixit:* in quibus et *reus Milonis* alienum est a proba Latinitate, et alia reprehendenda, quae persequi non attinet.

14, 36. *Reliquum est, ut iam illum natura ipsius consuetudoque defendat, hunc autem haec eadem coarguant.* Imo, *coarguat*, siquidem *natura consuetudoque* est ἓν διὰ δυοῖν.

15, 39. Interpolatum, *P. Lentulus*, pessumdat enumerationis vim et gravitatem.

Ibid. Nollem edidisset Madvigius, *cuius sententiam senatus omnis — secutus est.* Erf. certe omittit *omnis*, recte, ut opinor. *Totum*, et *universum Senatum* dici memini: sed requiro exemplum, quo dicatur *omnis Senatus* eadem sententia, nec dici potuisse puto. Eodem modo Madvigius Opusc. II. p. 276. reprehendit *omnis aetas*, in Caton. Mai. 18, 65.

17, 45. *Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit.* In his, *manendi facultas*, et

per se stolide dicitur, siquidem *facultas in agendo*, non in *nihil agendo* dicitur; et illud ipsum, quod intelligi oporteret, statim subiicitur, *exeundi necessitas fuit.* Itaque abiiciemus *facultas*, et in gerundio supplebimus cogitando, *causa*, ex antecedentibus.

19, 49. *quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? Quid afferebat causam festinationis? Quod heres erat? Primum erat nihil cur properato opus esset* cet. Iterum dissentio a Madvigio, qui Opusc. II. 302, contendit veritatem ab Ernesto adiutam esse, qui pro vulg. *causa*, correxerit *causam*. Melius Orellius, ut alii, edidit (omisso *causam* cum Erf.) *quid afferebat fest., quod heres erat?* Sic descendit a generali ad particulare: in altera lectione bis idem quaereretur.

19, 50. *Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptor locus, tum neque muta solitudo indicasset neque caeca nox ostendisset Milonem; deinde ibi multi ab eo violati, spoliati, bonis expulsi, multi haec etiam timentes in suspicionem caderent; tota denique rea citaretur Etruria.* Haec ita eduntur, tamquam si quadripartita esset enumeratio (*primum — tum — deinde — denique*). Sed revera tripartitam esse, et *tum* mutandum esse

in *quum*, ita ut haec interponantur ad priora explicanda, manifestum esse opinor.

22, 59. *De servis nulla lege quaestio est in dominum, nisi de incestis, ut fuit in Clodium.* Nisi haec unusquisque admonitus in nescio cuius Grammatici Scholia reiiciat, confitebor me nihil in talibus intelligere. Arguit primum ipsa forma annotationis: deinde his verbis interrumpitur cursus orationis artificiose ad indignationem compositae, distrahunturque quae arctissime apta sunt, *Quid agi potest severius? proxime ad deos accessit Clodius:* postremo, idem suo loco, et in oppositione ponitur mox, *sed tamen maiores nostri cet.* Hausit doctrinam Grammaticus tum aliunde, tum e Part. Orat. cap. 34.

24, 64. *Quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset.* Prius illud sic dicitur, tamquam si *nocens maximo animo* ea negligere non potuisset; igitur multo minus, qui *parvo animo nocens* esset: ut simplicius fuisset, si dixisset, omissis illis, *neque nocens.* Sed ipsa forma orationis requirit, *quae nisi maximo animo n.* Utrumque, et *maximo animo*, et *fortissimus vir*, de Milone intelligendum, de quo hoc dicitur, eum, sive nocens, sive innocens sit, certe maximo animo et fortissimum esse.

25, 67. *Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt; quum tamen metuitur etiam nunc Milo.* Sic de coniectura edidit Madvigius, e vestigiis Codd., qui haberent, *sunt cum tamen si metuitur* cet. Laudo, quod *si* eiecit: sed pro *quum*, praeferam *cur*, e Cod. Leid., ut hoc per interrogationem dicatur. — In iis quae statim subiiciuntur, oppositio requirit Pronomina, hoc modo: *Nos non iam hoc Clodianum crimen timemus, sed tuas — suspiciones perhorrescimus: tu si Milonem times* cet.

26, 69. *erit illud profecto tempus et illucescet ille aliquando dies, quum tu — fortissimi viri magnitudinem animi desideres.* Sic vulgo: Erf. *desideras.* Neutrum recte. Ex postremo corrigendum *desiderabis.*

29, 78. *Etenim etsi praecipuum esse debebat —.* Non puto spernendum esse, quod Erf. habet, *si*, pro *etsi*, quod posterius dubito an *etenim* Coniunctioni subiici possit. Ne Graece quidem diceretur καὶ γὰρ εἰ καί.

29, 79. *Quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum, si is, inquam, potuisset aut quaestionem de morte P. Clodii ferre aut ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? Etiamsi pro-*

pter amicitiam vellet illum ab inferis evocare, propter rem publicam non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis, et de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. Primum offendo in eo, quod dicitur, *si Pompeius potuisset aut quaestionem ferre, aut ipsum Cl. ab inferis excitare:* nam in eiusmodi optione duo poni solent, quae nondum adsint factave sint: atqui *quaestionem tulerat*, de quo igitur absonum est dicere, *si potuisset quaestionem ferre.* Praeterea, in hac quidem optione, propter ea quae antecedunt, utrumque eiusmodi esse oportebat, quod Pompeius non nisi eximia illa *virtute ac fortuna* perficere potuisset: atqui, quaestionem ferre, neque virtutis tantae, nec fortunae erat. Unum intelligi potest eximium, et humanam virtutem ac fortunam superans, si eadem lege quaestionis Clodium ab inferis excitare posset, id quod diserte in extremis verbis dicitur (*si eadem lege reviviscere posset*). Relinquitur ut corrigamus et illud ipsum, et ea, quae depravatae scripturae ortum debent postquam optio significari visa esset; simulque liberemus elegantissimum locum prava interpolatione. Legam: — *si is, inquam, potuisset,*

et quaestionem ferre, et ipsum ab inferis excitare, utrum putatis facturum fuisse? Etiamsi propter amicitiam vellet, propter rem publicam non fecisset. Eieci *potius*, iam aliis suspectum: vid. Garatonius. Sed interpolata erant, *illum ab inferis evocare*, quoniam, sine iis, dubium fuisset, utrum de duobus propositis facere voluisset Pompeius: sublato *potius*, manifestum est quo istud *vellet* referatur. Praeterea, ne recte quidem h. l. dicitur *evocare.*

31, 85. Alloquitur Albanos tumulos atque lucos, tum Albanorum obrutas aras, *quas ille, praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat; vestrae tum, vestrae religiones valuerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat* cet. Sed corrigendum, *quas ille:* neque enim *vim polluere*, sed *religiones* dici poterat Clodius.

32, 88. *Caesaris potentiam suam esse dicebat.* Ex var. lect. h. quidem l. restituendum *ducebat.* Notavi similia ad Legg. p. 383 et 453.

33, 88. *Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset. Ne quum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat.* Primum, melius apud Orellium distingui-

tur, — *facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat.* Sed, non *solebat* hoc facere Senatus: si enim, circumscripsisset: sed *volebat.* — Aliquanto post, § 89. verba, *quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis*, dedecent hunc orationis et cursum et dignitatem, quae inde a *primum Milone occiso* — usque ad *nullam haberetis*, continuo pronunciata est, et brevem sed acrem enumerationem continet eorum, quae exspectanda fuissent. Neque h. l. iterari oportebat, quod supra 12, 33. satis indicatum erat. Scholiastam denique decebat illud, *Clodianis.*

35, 95. *Senatus erga se benevolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam, vestras vero et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum se ablaturum esse dicit.* Sic haec eduntur, quasi duo, a se invicem diversa, dicantur, primum *Senatus benevolentiam esse perspectam*, tum, reliqua illa *se secum ablaturum.* Imo cuncta illa secum auferre voluit. Leg. *saepe a se perspectam.*

37, 101. *His lacrimis non movetur Milo.* Milonis nomen sic adiectum est, tamquam si modo in aliis omnibus haesisset Orator. Sed addendum fuerat, postquam corrupte scriptum esset

his, quod ipsum putidum est: quid enim attinebat Ciceronem, addito hoc Pronomine, lacrimarum suarum ἐπίδειξιν facere? Neque Ciceronis lacrimis movendus Milo erat: dicitur id, quod supra 34, 92, *nullam lacrimam adspici Milonis.* Itaque leg. *Hic lacrimis non movetur.*

In Pisonem 1, 1. *Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit; hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit.* Dicuntur ista de Pisone, similiaque aliquoties in aliis Orationibus, v. c. Sest. 8, 19. sqq. Sed corrigendum, *quibus eras ignotus:* nam *vultum* Pisonis noverant homines, ipsum ignorabant.

1, 2. *Omnes enim honores populus Romanus mihi ipsi, homini novo, detulit.* Pron. *ipsi* requirit oppositionem, sicuti exemplis ostendi in Verrinis, supra p. 189. sq. Itaque miror editores non abiecisse hanc vulgatam lectionem, et sprevisse unam verissimam ex Cod. Urs. (quam perperam reieceram olim, Bibl. Cr. N. V. 2.

p. 507), *non nomini*, *detulit*. Arguunt sequentia. — Mox, 1, 3. interpolata sunt *Caesare et Bibulo:* tum 4, 9. *P. Clodio*, arguente varia lect. in Cod. Erf. *Clodio a fatali:* conf. Orell. Ind. Legg. p. 127: item 5, 11. *Ciceronem*, et, secundum Muretum, 12, 27, *Gabinius:* et 15, 34, *P. Lentulo:* et 32, 80, *C. Caesarem.*

3, 6. *Mihi — L. Gellius — civicam coronam deberi a re publica dixit. Mihi togato Senatus, non, ut multis, bene gestae, sed, ut nemini, conservatae rei publicae singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit.* Primum rectius Lambinus, *deberi a populo Romano.* Sed Genitivos, *gestae — conservatae — rei publicae*, nulla syntaxi defendi posse puto: neque enim probandum, *supplicatio bene gestae rei publicae:* et mutandos censeo in Ablativos. Statim post, in his: *ego, quum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram; quumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret* cet. Sine dubio melius exhibet Asconius, — *prohiberer ea, quae constitueram, quum is* —. Alterum *quum* subiicitur prioribus, ut explicatio, non ut novum quid dicatur.

5, 9. Nondum poenitet me eius, quod Bibl.

Cr. N. V. 2. p. 508. dixi, videri mihi *severitas censoria* glossema esse.

5, 10. Obiicit Pisoni, quae is Consul fieri per alios passus esset. *Centum prope annos legem Aeliam et Fufiam tenueramus, quadringentos iudicium notionemque censoriam, quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo convellere: quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est.* Non recte inter se opponuntur *ausus est*, et *potuit*: oportebat *aggressus est*, aut *conatus est*: sed nil definio. Sed, quod apertius est, si quidem *quam potestatem* ad censuram, *quas leges* ad prius illud pertinet, transponenda sunt verba, hoc modo, — *tenueramus, quas leges — convellere, quadringentos — censoriam, quam potestatem —*. In extremis *tamen* legam, pro *tam.*

6, 13. *Meministine — excusatione te uti valetudinis, quod diceres vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari?* Vitiosum est *quod*, quae Coniunctio necessario causalis est; corrigendumque *quum.* Necessaria correctione multis in locis utendum est, quorum nunc unum indicabo, Nat. Deor. III, 7, 18. ubi legendum, *quum Chrysippum dicere aiebas.* Rursus, *quum*

e Vat. revocandum est infra, 22, 52, pro *quo in patriam redii.*

8, 18. Nollem sprevisset Orellius unam sanam verborum collocationem, *per interdicta potestatis tuae, crudelitatis erat non ferendae*, ut et Erf. et Palimps. Taur. habent. Quod *non ferendum* esse dicitur, valet in rebus vitiosis, non in legitimis. Igitur recte *potentia vix ferenda* dicitur Planc. 10, 24, aliisque locis, quos Indices indicabunt; eodemque modo *crudelitas.*

Ibid. *Senatum populi Romani occasum atque interitum rei publicae lugere vetuisti.* Non memini usquam apud Ciceronem legere me, *senatus populi Romani*, nisi forte, ut aequum est, ubi alius civitatis consilio opponatur. Igitur mera significatur varietas, in collocando *rei publicae* ante, an post *occasum atque interitum*, et delendum *populi Romani.* — Aliquanto post, 9, 18, ex Palimps. Taur. sumendum erat, *qui multis saepe auxilio fuerim*, prae eo quod editur, *fuissem.* In simplicissima forma, sententia sic enuncianda erat: fui saepe auxilio aliis, igitur non putabam te propugnatore tutiorem me fore: ideoque dicendum, quasi ego, qui — fuerim. Contra, mox § 20, est *qui gubernassem*, propter antecedens *fui.* — Ex eodemque fonte restituendum arbitror, 9, 19, *consulem ego tum quaerebam.*

Nam, *requirere consulem*, est, cum quaerere qui ante fuerit quemque propterea sibi deberi quis putet: sed talem nondum in Pisone invenerat Cicero. *Quaerebam consulem* i. e. opus mihi erat consule. Verr. III, 62, 146: *non quaero iudices Cassianos: veterem iudiciorum severitatem non requiro:* quo exemplo ostenditur, quid intersit inter utrumque.

12, 28. *Tu scilicet homo religiosus et sanctus, foedus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti. Caverat enim — ut, si sibi provinciam — dedisset, omnium suorum scelerum socium te adiutoremque praeberes.* Hoc et similia multa legi tolerarique solent, quoniam plerique de verbis orationisque forma securi, in perspicua satis sententia acquiescunt. Sed quid est *foedus in pactione?* Novi *pactum foedus provinciarum*, Sest. 14, 33, quocum alibi permutari solet *pactio provinciarum.* Accedit, quod disiuncta sunt ea, quae de more Ciceronis arctissime cohaerere oportebat. Sic Sest. 10, 24, *id autem foedus meo sanguine ictum:* quale *foedus* intelligatur istic, modo ante dixerat, sicut nunc eam explicationem subiicit. Hinc verba illa, *in pactione provinciarum*, ad intempestivum annotatorem reiicienda sunt.

13, 30. De lege Clodia: *nam, si illam legem*

non putabatis, quae erat contra omnes leges —, hac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modo consules, sed liberos fuisse putet —? Sin illam vos soli putabatis, quisquam vos consules tunc fuisse — putet, qui eius civitatis, in qua in principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, non iura noritis? Necessario, pro *hac tamen* (quum per syntaxin Pronomen nusquam referri possit), legendum *ac tamen.* In postremis corrigendum, *non morem: mores civitatis* nec dicitur, nec dici potuit.

14, 32. *Tu luctum senatus, — tu cetera illa in maledicti loco pones, quae meus discessus rei publicae vulnera inflixit?* Sed non ipse Cicero praedicabat se vulnera inflixisse rei publicae: erat hoc in Pisonis maledictis. Igitur corrigendum, *inflixerit.* — Mox, in verbis, *non modo illam calamitatem esse non duco*, vitio haesit Infin. *esse*, qui non nisi in vitiosa Cod. Vat. lectione, *dico*, defendi poterat: rursus ubi subiicitur, *optandam duco mihi fuisse — fortunam*, legendum est *dico:* hoc enim ipsum erat quod *dicturus erat:* et fieri potest, ut huc pertineat varietas illa Cod. Vat. Geminus locus est III. Nat. D. 10, 24: *Vide si — omnia, quae certis temporibus ordinem suum conservant, divina*

ducimus (perperam corrigitur *dicimus*), *ne tertianas quidem febres et quartanas divinas esse dicendum sit:* de quo genere breviter monuit Madvigius Opusc. I. p. 409. et conf. Orell. supra ad 5, 11.

15, 33. *Nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis tuo tranquillissimo praestat* —. Auctoritate Palimps. Taur. omittendum erat *profectionis:* quum praesertim neque profectionis eius ullae turbae fuissent, neque omnino ea *profectio* appellari possit, sed *discessus: profectio* aliis temporibus convenit, ut Philipp. I, 3, 7.

18, 43. *impedita et oppressa mens conscientia.* Requiro *scelerum conscientia*, sicuti modo ante locutus est 17, 39, et mox, 19, 44.

19, 43. *Supplicium autem est poena peccati.* Dixi ad Legg. II, 17, 43, abiiciendum esse *poena.* Cum iis quae istic tractavi conferri possunt haec Platonica Theaet. p. 176. D: *ἀγνοοῦσι γὰρ ζημίαν ἀδικίας, ὃ δεῖ ἥκιστα ἀγνοεῖν. οὐ γάρ ἐστιν ἣν δοκοῦσι, πληγαί τε καὶ θάνατοι, ὧν ἐνίοτε πάσχουσιν οὐδὲν ἀδικοῦντες, ἀλλὰ ἣν ἀδύνατον ἐκφυγεῖν.* — In sequentibus, *neque vero ego, si unquam vobis mala precarer, quod saepe feci, — morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer*, postremum certe mutandum in *precabar.*

20, 45. *quod nemo bonus — est, — qui vos non oculis fugiat, — recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat.* Dicitur sane, absolute, *toto corpore perhorresco*, ut *horreo:* sed *recordatione perhorrescere* tam improprie dicitur, ut non dubitem amplecti id, quod Erf. praebet, *recordationem — ipsam.*

20, 46. *Plura etiam acciderunt, quam vellem. Nam, ut amitteretis exercitum, nunquam mehercule optavi. Illud etiam accidit praeter optatum meum: sed valde ex voluntate. Mihi enim nunquam veniret in mentem, furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis. Atqui fuit optandum. Me tamen fugerat, deorum immortalium has esse in impios et consceleratos poenas certissimas constitutas.* Duo primum emblemata sunt eiicienda. Nam, si *nunquam optavi*, propter antecedentia idem est, quod *nunquam volui*, minus recte mox *voluntas* ab *optato* distinguitur: praetereaque illa, *sed valde ex voluntate*, interrumpunt continuationem reliquorum, quae arctissime cohaerent. Alterum, *atqui fuit optandum*, ineptius etiam est. Dicit enim hoc, numquam optavi, sed noveram illam poenam secuturam esse. Unde consequitur, ne necesse quidem fuisse optare. Extrema, ut ea sententia constet, sic corrigenda, *Nec me tamen fugerat* —

20, 48. Quod dicitur, *iniussu populi Romani*, in eo vel optimis Codd. non parendum fuerat, et *Romani* abiiciendum. Ita mox, *auctoritatem senatus*, *iussa populi:* et conf. § 50. Dedecet criticum auctoritatum discrepantiis et inconstantia modo in hoc, modo in aliud abripi, itaque negligere unam sanam rationem, quam in castigato scriptore non difficile est deprehendere. Aliquanto inferius, 21, 48, ferendum non est asyndeton in his, *quum iam egeret*, *quum illa — aedificatio constitisset*, et iterata una syllaba leg. *et quum illa.* — Rursus perperam Orellius, Palimps. Taur. secutus, § 49, *iis se tenere non potuit* edidit, pro *his.*

22, 52. *mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis*, *ad complectendum conservatorem suum progredi visa est.* Bene servatur *progredi* prae altero, *procedere:* nec iungenda ista erant, ut Orellius volebat, propterea quod Fin. IV, 23, 64 iungantur, ubi tantum interpretari studet Cicero Graecum προκόπτειν in virtute: h. l. requiritur id, pro quo dicat quis *sese movere*, oppositum ei, quod est *immotum stare*, idque est *progredi*, non *procedere.*

22, 53. *Confer nunc vicissim tuum (reditum)*, *quandoquidem*, *amisso exercitu*, *nihil incolume domum*, *praeter os illud pristinum*

tuum retulisti. Nescio, quo modo quis defensurus sit istud *quandoquidem*, quod non attinet exemplis docere quoties ex alia lectione ortum sit. Equidem legam, — *vicissim tuum. Qui quidem* —.

22, 53. Verba, *quae deverticula flexionesque*, eius sunt, qui *Maeandros* explicare vellet: qui tamen in eo erravit, quod *deverticula* cum *flexionibus* composuit, et hoc ipso postremo verbo improprie in hac re utitur.

23, 55. ***In quo me tamen, qui esset paratus ad se defendendum, reprehendit. Quum ego eum Coelimontana introisse dixissem, sponsione me, ni Esquilina introisset, homo promptus lacessivit.*** In iis, quae tam arcte cohaerent nec solute narrantur, non ferendum esse puto, ut Piso Pronomine *is* (*eum*) indicetur, aliquanto melius si scriptum esset, ***nam quum ego eum.*** Sed facillimum est verum restituere, *quem ego quum Coelim.*

Ibid. *quasi — ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali: quae porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit. Tu inventus es, qui, consulari imperio praeditus, ex Macedonia non triumphares.* Rursus divulsa esse suspicor, quae cum oppositionis significatione coniuncta essent. Ita-

que distinguo et corrigo: *Quae porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit, ea tu inventus es, qui — ex Macedonia non introires.*

25, 39. Hortatur Gabinium, ut praecepta sapientiae det C. Caesari, genero suo, tum in Gallia bellum gerenti. *Non didicit eadem ista, quae tu. Mitte ad eum libellum. Sed iam, si ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas atque restinguas.* In postremis locus non erat Coniunctioni *sed.* In aliis erat, *et si iam ipse*, ex quibus quod effecerat Lamb., *tametsi iam ipse*, ipsum quoque peccat assumta oppositione, quae nulla est in hac oratione. Melius ordinabuntur syllabae, si legimus *Etiam, si ipse* —.

26, 62. *Tu eruditior, quam Piso, prudentior, quam Cotta.* Requiritur, opinor, *pudentior.*

26, 64. *Num etiam — splendorem tuum — nobis, aut, ut verius dicam, cuiquam es infimo ac desperatissimo antelaturus?* Necessaria videtur Lambini correctio, *despicatissimo.*

28, 68. *Audistis profecto dici, philosophos Epicureos omnes res, quae sunt homini expetendae, voluptate metiri.* Succenseo fere Orellio, qui ex var. Faërn. non receperit necessarium *sint.*

28, 69. Pro *disertum dicere*, ex Erf. saltem *diserte* suscipiendum erat.

29, 72. *Sed idem casus illum ignarum, quid profiteretur, quum se philosophum diceret, istius impurissimae atque intemperantissimae pecudis coeno et sordibus inquinavit.* In hac verborum compositione, in verbo *profiteretur* nullum aliud subiectum cogitari potest, nisi ipse Philodemus. Sed ridiculum inde hoc oritur, ut is, *quum se philosophum esse diceret, ignarus esset quid profiteretur.* Certe perspicua magis erit sententia, si *quum* mutatur in *qui.*

29, 72. *non illa tibi — invidia nocuit.* Sic confitetur Piso fuisse tamen invidiam, cui Cicero ipse perpetuo profitetur cedere se debuisse. Sed retinendum erat, quod Erf. quoque habet, *ulla.*

30, 74. *Nam quum tu — lauream ad portam Esquilinam abiecisti, indicasti — etiam minimae laudi lauream concessisse.* Quantocyus reponendum *iudicasti*, i. e. illo facto tuo demonstrasti sic te iudicare et sentire.

30, 75. *Quod si est commotus.* Legendum, *quo si est commotus*, i. e. versiculo. Et, quod alii iam suaserunt, *ne* abiiciendum in *perniciemne.*

31, 76. *Vestrae fraudes — effecerunt, ut ego excluderer, omnesque, qui me, qui illius*

gloriam, qui rem publicam salvam esse cupiebant, sermone atque aditu (Pompeii) prohiberentur. Postrema manifesto hoc consilio dicuntur, ut rei publicae salus cum Pompeii gloria coniuncta esse videatur. Sed idem ut de sua salute dixerit, difficile est probare, nisi in non ferenda arrogantia: et per se multo indignius erat excludi eos, qui ipsi Pompeio consulere voluissent, quam qui Ciceronem defendere. Quapropter legam, *omnesque qui mecum illius gloriam —.*

32, 80. De Pompeio et Caesare: *quorum alter, id quod meminero semper, aeque mihi fuit amicus, ac sibi: alter, id quod obliviscar aliquando, sibi amicior, quam mihi.* Non tantum melius Palimps. Taur., *sibi aliquando amicior,* sed inde quoque in prioribus distinguendum, *meminero, semper mihi fuit —.* Quoniam per se absurdum est, *oblivisci aliquando,* oportebat Editoribus hoc in mentem venisse, Ciceronem amicum se profiteri Caesari non potuisse, nisi hic *aliquando* tantum sibi amicior fuisset quam Ciceroni, neque satis digne praedicavisse de Pompeio, nisi affirmasset eum semper aeque amicum ipsi fuisse ac sibi.

33, 81. *Si mihi nunquam amicus C. Caesar fuisset, si semper iratus, si aspernaretur ami-*

citiam meam, seseque mihi implacabilem inexpiabilemqae praeberet: tamen ei, quum tantas res gessisset, gereretque quotidie, non amicus esse non possem. Cuius ego imperio non Alpium vallum contra adscensum transgressionemque Gallorum, non Rheni fossam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immanissimis gentibus obiicio et oppono; perfecit ille, ut, si montes residissent, amnes exaruissent, non naturae praesidio, sed victoria sua, rebusque gestis, Italiam munitam haberemus. Sed, quum me expetat, diligat, omni laude dignum putet, tu me a tuis inimicitiis ad simultatem revocabis? Integrum locum apposui, quo facilius demonstrarem eum misere distractum et interpolatione deturpatum esse. Primum, revocandum erat, auctoritate nunc adeo Palimps. Taur. commendatum, *cuius ego imperium, non Alpium v.* Eleganter confert Caesaris imperium cum illo vallo, et cum Rheni fossa. Sed huius elegantiae otiosissima et inepta paraphrasis adiecta est, verbis, *perfecit ille — haberemus*, ab eo, qui meminisset haec a se lecta esse Prov. Consul. 14, 34: *Alpibus Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine; nam, si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam haec urbs summo imperio do-*

micilium ac sedem praebuisset. Quae iam licet considant. Talia si ipse Orator adiicere voluisset, continuasset per relativum, *qui perfecit;* nec *victoria*, sed *victoriis* scripsisset, neque *victoriae* adiecisset *res gestas.* Omissis illis, arctius cohaerebunt, ut oportet, *si mihi nunquam amicus* —, et *sed, quum me expetat* —: quod ut appareat, qua totius loci distinctione sit utendum, non attinet indicare.

36, 87. *Quid? vectigalem provinciam, singulis rebus, quaecunque venirent, certo portorio imposito, servis tuis publicanis a te factam esse meministi?* Apparet, non esse sermonem de vectigalibus, quae publicani conduxissent; sed ne hos quidem *servos* Pisonis appellare potuit Cicero. Imperite igitur interpolatum est *publicanis.*

37, 91. *nobiles urbes atque plenas.* Ad postremum Orellius requirebat adiectum *civium Romanorum.* Sed non intelligebat, *plenas* esse *εὐδαίμονας*, i. e. locupletes.

39, 94. *Ecquid vides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? Non aeque legetur, quisquis voluerit: nec, quisquis noluerit, non legetur. Nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad si-*

mulationem coniicietur. Iudices iudicabunt ii quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit. In reliquis nihil mutandum censeo. Sed verba, *in illum ordinem*, videntur postulare, ut propius subiiciantur illis, *quos p. iud. simus hab.* Quapropter, quum istud *aeque* prorsus ineptum sit, levi mutatione adhibita et transpositione, legam, — *iudices simus habituri? Nulli coniicientur in illum ordinem — ad simulationem coniicietur: uon denique legetur quisquis voluerit*, cet.

39, 95. *sed in iis, qui fecerunt, sceleris et conscientiae poena permansit.* Apertum est, legendum esse, *sceleris conscientia:* conf. 18, 43.

40, 97. *Ad horum omnium iudicia tot atque tanta domesticum iudicium accessit sententiae damnationis tuae.* Ernestus suspicabatur *sententiae* delendum esse. Sane, *sententia damnationis* probari non potest: sed neque *iudicium sententiae*, neque *iud. damnationis: sententia* enim ea est, quae in iudicio ipso verbis pronunciatur: hoc loco autem ea, quae fecisset Piso, pro *iudicio* habentur. Equidem tria vocabula, *sent. damn. t.* delenda censeo. — In extremo hoc loco item putide adiecta sunt verba, *dicere audes:* erantque illa superiora intelligenda ex anteced. voc. *mentio.* Eiusdem generis addita-

mentum bene Editores sustulerunt § 98. post *ponderari*.

40, 97. *Sin autem aliquid sperare volueras.* Illud *velle sperare* nemo, ut opinor, defensurus est. Sed latere in illis suspicor correctionem, *ueras*, quae vitiosae lectioni *sperare* subiecta fuerit: syll. *vol* facta est ex compendio, non ignoto iis, qui Codices tractaverunt. Itaque leg. *speraveras.*

41, 99. *Nunquam ego sanguinem expetivi tuum: nunquam illud extremum, quod posset esse improbis et probis commune, supplicium legis ac iudicii.* In his servarem *quod posset*, si ea enunciatio certa quadam ratione e superioribus penderet, ut v. c. cogitaverit *ita*, aut *eiusmodi ut posset*, aut *eo consilio ut p.* Sed est mera suae sententiae explicatio, esse hoc commune improbis et probis. Igitur corrigendum, *quod potest.*

VII.

Corriguntur nonnulla in Aeschinis Ctesiphontea.

Ctesiphonteam, cuius praeclaras virtutes qui, non dico obscuraret, sed quodammodo superaret, unus inveniri potuit Demosthenes, aliquanto emendatius edidit Bekkerus, haud spernendis praesidiis emendandi instructus. In ea tamen varietate lectionis, quam is publici iuris fecit, relicta esse mihi nonnulla videbantur, quae tantum abest ut spernenda essent, ut inde melior etiam recensio fieri posset. In his indicandis brevitati operam dabo.

§ 2. Vellem, inquit Orator, vim servare Solonis leges περὶ τῆς τῶν ῥητόρων εὐκοσμίας, ἵνα ἐξῇ πρῶτον μὲν τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν πολιτῶν — συμβουλεύειν κτέ. E libris, pro ἐξῇ, affertur et

ἔξει, et ἐξὸν ᾖ· aptius fortasse, inquit Bekkerus, ἐξείη. Dubitandum non erat, quin hoc unice verum esset. Sed quum hoc oscitantia librariorum corruptum esset, interposita sunt verba, ὥσπερ οἱ νόμοι κελεύουσι, quae plane idem valent, quod ἵν' ἐξῇν, et omittenda sunt.

Si ista ratio servaretur, inquit, tum optime mihi administrari posse civitatem videtur, αἵ τε κρίσεις ἐλάχισται γίνεσθαι. Bekkerus, pro ἐλαχι. coniicit τάχιστα. Suspicio celerior, quam verior. Nam, ut e sequentibus intelligitur, queritur Orator de multitudine παρανόμων γνωμῶν, unde totidem iudicia oriri necesse esset, tum παρανόμων, tum εἰσαγγελιῶν.

§ 3. ἀπειλοῦσιν εἰσαγγέλλειν. Ex vitioso ἐξαγγέλειν, in var. lect., restituendum erat ἐξαγγελεῖν. — In eo, quod paullo inferius legitur, δυναστείας ἑαυτοῖς περιποιοῦντες, fieri potest, ut verius sit v. l. περιποιούμενοι.

§ 7. Praecipit, quid iudices facere oporteat, μισεῖν τοὺς τὰ παράνομα γράφοντας, μηδὲν ἡγεῖσθαι μικρὸν εἶναι τῶν τοιούτων ἀδικημάτων, καὶ τοῦθ' ὑμῶν τὸ δίκαιον μηδένα ἀνθρώπων ἐξαιρεῖσθαι· quorum constructio ne discordet, suscipiendum credo ex exemplari Askew., μηδένα ἐᾶν ἀνθρ. Excidit Infinitivus propter similitudinem syllabarum. — In fine huius § satius erit τῇδε τῇ ἡμέρᾳ.

§ 8. ἐὰν ἐξελέγξωμεν Κτησιφῶντα καὶ παράνομα γράψαντα καὶ ψευδῆ —. Sermonis leges, opinor, postulant ut ex tribus libris reponatur γεγραφότα· conf. § 9. et 31. — Eodemque modo revocandum e libris τοὺς ὑπεναντίως τοῖς νόμοις, pro τῷ νόμῳ. Solet in eo plurale servari, ut modo μεμνημένοι τῶν νόμων. Tum statim, librorum auctoritate, καὶ τῇ πόλει abiicienda: cogitari possunt ἀσύμφορα τῇ πόλει, non ὑπεναντία.

§ 9. Verba ἐν ταῖς εὐθύναις τῶν ἀρχῶν (al. ἀρχόντων) manifesto ex interpolatione sunt. Tum sequens μὲν, post μεγίστην, rectissime in duobus libris omittitur.

§ 10. Eademque observatione expellendum est τῶν ὑπευθύνων. — Sed in generali notatione ingenii iudicum, quae sequitur, praestat, duorum librorum auctoritate, legere αἰσχύνονται γὰρ — εἰ φανήσεται ὁ αὐτὸς ἀνὴρ, prae eo quod editur, ᾐσχύνοντο.

§ 11. προσεγγράφουσι γὰρ πρὸς τὰ ψηφίσματα, στεφανοῦν τὸν ὑπεύθυνον ἐπειδὰν λόγον — δῷ. In compositis verbis saepe erratur. Si, de quo constat, ἐγγράφειν in re multum ab hac diversa usurpatur, apparet προσεγγράφειν non esse huius loci. De eo, quod quis legi aut psephismati adderet, dicebatur προσγράφειν, ut infra § 48, et apud Demosth. Leptin. § 128. Idemque

error tollendus infra § 203: et § 50 e duobus libris γράφειν revocandum pro ἐγγράφειν.

§ 19. Ubi describit, quid non facerent triërarchi, corrigendum erit, οὐ τὰ κοινὰ διαχειρίζοντας (non διαχειρίσαντας) οὐδ' ἀπὸ τῶν ὑμετέρων (deleto προσόδων· perpetuo sic τὰ ὑμέτερα appellantur) πολλὰ μὲν ὑφαιρουμένους βραχέα δὲ κατατιθέντας, ἐπιδιδόναι τε (non δὲ) φάσκοντας, ἀποδιδόντας δὲ ὑμῖν τὰ ὑμέτερα· quo modo oppositio indicatur.

§ 23. ἀλλ' ἀπὸ πολλῶν ὧν ἔχεις εἰς τὴν τῶν τειχῶν οἰκοδομίαν μικρὰ κατέθηκας, δέκα τάλαντα εἰς ταῦτα ἐκ τῆς πόλεως εἰληφώς. Corrigendum erit tum, ὧν εἶχες, itemque § 31, εἶχε· tum, ἐκ τῶν τῆς πόλεως.

§ 25. οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι. Nulla causa est, quare non ex uno libro restituatur ἐπὶ τῷ θεωρικῷ, ut bis editum est § 24.

§ 27. Si suam quaeque tribus ἀγορὰν habuit, necesse est corrigi, ἀγορὰς (pro ἀγορὰν) ποιῆσαι τῶν φυλῶν. Et statim post requiri videtur, ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἑκάστῃ (non ἑκάστης) τῶν φυλῶν ἑλέσθαι κτέ. conf. § 30.

§ 28. E duplici lectione hic Bekkerus optavit εὐθὺς· supra § 21. εὐθέως. Requiro constantiam.

§ 36. Ex var. lect. recipiendum erat, εἷς μὲν

ὃν νῦν ἐγὼ παρέχομαι διαῤῥήδην ἀπαγορεύων, non ἀπαγορεύοντα.

§ 41. ἀνεκήρυττόν τινες, οὐ πείσαντες τὸν δῆμον, οἱ μὲν ὅτι στεφανοῦνται ὑπὸ τῶν Φυλετῶν κτἑ. Non temere suspicor, restituendum esse ex uno Cod. ἀνεκηρύττοντο, quemadmodum § 43. fin. ἀνηγορεύοντο, i. e. proclamari se curabant, id quod mox dicit, διεπράττοντο ἀναγορεύεσθαι.

§ 47. Qui in concione coronantur, inquit, eorum corona non consecratur, ἀλλ' ἔξεστι κεκτῆσθαι, ἵνα μὴ μόνον αὐτὸς, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐξ ἐκείνου, ἔχοντες ἐν τῇ οἰκίᾳ τὸ ὑπόμνημα, μηδέποτε κακοὶ — γίνωνται. Quum ὑπόμνημα per appositionem et in praedicato dicatur, respuit Articulum: conf. Timarch. § 25. Sed praeterea, molestum est αὐτὸς, et ἐξ ἐκείνου, de eodem dicta. Corrigam, μὴ μόνον αὐτὸς ἀλλὰ καὶ οἱ ἐξ αὐτοῦ ἐκεῖνο ἔχ. ἐν τ. οἰκ. ὑπόμνημα.

§ 53. πότερα αὐτὸν δεῖ χρυσῷ στεφάνῳ στεφανωθῆναι ἢ ψέγεσθαι; Requiritur, puto, στεφανοῦσθαι. Sic certe aliquoties infra in eadem re, § 131. 152. 159.

§ 56. Quaesiturus erat Demosthenes ex Aeschine, quo tempore ex quatuor, quae positurus esset, non optime meritus esset de civitate. Ἵν' οὖν, inquit Aeschines, μήθ' οὗτος ἰσχυρίζηται ὑμεῖς τε προειδῆτε ἐγώ τε ἀποκρίνωμαι, ἐναντίον σοι τῶν

δικαστῶν — ἀποκρίνομαι κτέ. Vix ferendum, *ut respondeam — respondeo.* Pro ἀποκρίνωμαι ex uno libro affertur ἀποκρίνομαι. Sed corrigendum ἐγὼ τί ἀποκρινοῦμαι; — Et respondere vult Orator coram reliquis Graecis circumstantibus, ὅσοις ἐπιμελὲς γέγονεν ὑπακούειν τῆσδε τῆς κρίσεως· in quibus requiritur ἐπακούειν. contra in Herodot. IV, 141, Ἱστιαῖος δὲ ἐπακούσας τῷ πρώτῳ κελεύσματι, corrigendum ὑπακούσας.

§ 61. Demonstraturum se dicit Orator Demosthenem plura tulisse psephismata de pace quam Philocratem, καθ' ὑπερβολὴν δὲ αἰσχύνης κεκολακευκότα Φίλιππον καὶ τοὺς παρ' ἐκείνου πρέσβεις οὐκ ἀναμείναντα, αἴτιον δὲ γεγονότα τῷ δήμῳ τοῦ μὴ μετὰ κοινοῦ συνεδρίου τῶν Ἑλλήνων ποιήσασθαι τὴν εἰρήνην κτέ. Pro ἀναμείναντα, unus Cod. habet παραμείναντα. Wolfius totum delevit, Bekkerus, ut spurium, uncinis inclusit. Nihil horum probandum. Propter unius vocabuli iterationem quae exciderunt si restitueris, locum sic constitues: — παρ' ἐκείνου πρέσβεις, τοὺς δὲ ὑμετέρους πρέσβεις οὐ περιμείναντα αἴτιον γεγονότα κτέ. Conf. § 68. — Animus non est indicare complura emblemata, quae tersam Oratoris orationem obruunt: sed tamen in proxime sequentibus eiiciendum puto τὸν Θρᾴκης βασιλέα. item § 65 et 68.

§ 63. Pro ἔδωκε, unus liber habet δέδωκε. Legendum ἐδεδώκει.

§ 65. τὴν ante prius εἰρήνην, abiiciendum, librorum auctoritate, sicut omittitur mox.

§ 67. ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ. Donec mihi quis alterum exemplum huius locutionis ostenderit ex illa aetate, serioris aevi emblema esse putabo. Non certe ita loquitur neque lex, quam recitat, neque ipse Demosthenes Mid. p. 517. fin. sq.

§ 69. ἐν δὲ τῇ προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν —. Defendi istud δὲ nullo modo potest, nisi statuamus, reliqua omnia, inde a οὗ τὰ κεφάλαια usque ad ἀκούσαντες μαθήσεσθε, in parenthesi dicta esse, et apodosin reddi § 71, verbis τούτῳ τῷ δόγματι.

§ 70. E var. lect. revocandum ἀναγράφεσθαι, prae edito ἀναγεγράφθαι. Tum ibid. proprietas, credo, sermonis postulat, ut κατασκευάζοντες e libris assumatur, non παρασκευάζοντες. Agitur enim de consilio, quod non aperte isti profitebantur, sed decreti verbis tamen consequi sperabant.

§ 72. Demosthenes, inquit, dicebat in illa concione, non oportere ἀπορρῆξαι τῆς εἰρήνης τὴν συμμαχίαν, οὐδὲ τὰ τῶν Ἑλλήνων ἀναμένειν μελλήματα, ἀλλ' ἢ πολεμεῖν αὐτοὺς ἢ τὴν εἰρήνην ἰδίᾳ ποιεῖσθαι. Quorsum istud αὐτούς? Non certe ad τοὺς Ἕλληνας· neque ulla causa erat,

cur Athenienses in concione isto Pronomine essent designandi. Dilemmatis vis renascetur, si corrigetur αὖθις.

§ 74. Demosthenes ἔκδοτον Κερσοβλέπτην μετὰ Φιλοκράτους ἐποίησε. λανθάνει γὰρ ὁ μὲν Φιλοκράτης ἐν ψηφίσματι μετὰ τῶν ἄλλων γραμμάτων παρεγγράψας, ὁ δὲ ἐπιψηφίσας, Δημοσθένης, ἐν ᾧ γέγραπται κτέ. Vehementer suspicor, nomina propria, Philocratis et Demosthenis, interpolata esse. De ipso decreto illo, conf. Boehneckius Forsch. p. 398. sq.

§ 76. Ubi Demosthenis indignam adulationem erga Philippi legatos exagitat, hoc quoque commemorat: quum proficiscerentur Thebas, inquit, ἐμισθώσατο αὐτοῖς τρία ζεύγη ὀρικὰ καὶ τοὺς πρέσβεις προὔπεμψεν εἰς Θήβας. Si αὐτοῖς, quod necesse est, ad legatos refertur, putidum est mox τοὺς πρέσβεις. Sed scripsit, opinor, Orator, αὐτός.

§ 78. ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστός. Unus liber hàlet πονηρὸς πατήρ· sed tum hoc Adiectivum, tum καὶ abiiciendum esse, evincit concinna oppositio: ipsumque πονηρὸς mox suo loco ponitur, ὁ ἰδίᾳ πονηρός.

§ 79. Πόθεν οὖν ἐπὶ τὴν μεταβολὴν ἦλθε τῶν πραγμάτων; Sunt sane τὰ πράγματα res gerendae: sed hoc loco studia potius et artes Demo-

sthenis intelliguntur, quibus in re publica utebatur. Legam, *πραγματειῶν*.

§ 81. Describit rerum et animorum conditionem in illa civitatis trepidatione, quum Philippus intra Pylas penetrasset: tunc, inquit, Demosthenes *μετὰ τῶν συμφύτων νοσημάτων αὐτῷ ἤδη τὰ μετὰ ταῦτα ἐβουλεύετο, μετὰ δειλίας καὶ τῆς πρὸς Φιλοκράτην ὑπὲρ τῆς δωροδοκίας ζηλοτυπίας, καὶ ἡγήσατο κτἑ.* Numquam mihi persuadere potui, hanc explicationem istorum *νοσημάτων* ab ipso Oratore esse profectam, quippe et supervacaneam, et minus diligentem (quid enim istuc *δειλία* pertinet?) et sermonis forma laborantem, intelligeremque v. c. *ὑπὲρ δωροδοκήματος ζηλοτυπίαν*, non *ὑπὲρ δωροδοκίας*, omninoque *ζηλοτυπίας* verbum ne oratorium quidem est, sed e philosophorum scholis. Recisis istis sua Aeschini restituetur oratoria vis et brevitas.

§ 83. *στεφανώσας τοὺς μετ' Ἀριστοδήμου εἰς Θετταλίαν καὶ Μαγνησίαν παρὰ τὰς τῆς εἰρήνης συνθήκας ἐπιστρατεύσαντας*. Var. lect. *πρεσβεύσαντας*, quod, ni fallor, et melius convenit Aristodemo histrioni, quo aliquoties legato usi sunt Athenienses, nec historiam corrumpit: nihil enim cognitum est de expeditione in Thessaliam.

§ 85. Propter ea, quae supra p. 7 disputavimus, commemoranda est haec locutio, *μισθὸν*

λαβεῖν, conf. § 103, quod in corruptione dicitur, et § 87. permutatur cum μισθαρνεῖν; ipsumque λαβεῖν eodem modo usurpatur ab Antiphonte π. χορ. § 49: contra ἀργύριον λαμβάνειν, in honesta mercede, a Xenophonte R. A. I. 13.

§ 92. De psephismate Demosthenis, in Calliae Chalcidensis gratiam lato: ἔγραψε δ' ἐν τῇ συμμαχίᾳ βοηθεῖν ἡμᾶς Χαλκιδεῦσι, ῥῆμα μόνον ἀντικαταλλαξάμενος, ἀντὶ τούτων εὐφημίας ἕνεκα προσγράψας Χαλκιδέας βοηθεῖν ἐάν τις ἴῃ ἐπ' Ἀθηναίους. Contra sententiam dicitur haec postrema *adscripsisse* ἀντὶ τούτων. Requiro, καὶ ἀντίθετα τούτων.

§ 99. καὶ γὰρ τοῦτο ἄνθρωπος ἴδιον — ποιεῖ. Excidit artic. ὁ ante ἄνθρωπος· item § 125 et 159.

§ 101. ἔπειτα ἀναφαίνεται περὶ ἁπάντων ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς τῷ κλέμματι γράψας κτέ. Quid est istud περὶ ἁπάντων? Si *omnia* illa intelliguntur ea, quae psephismate continebantur, dicendum sane fuisset π. ἁ. τῶν ἐν τῷ ψηφίσματι. Sed ineptum est, eum *de* his omnibus *adscripsisse* postrema illa. Corrigo παραπατῶν. Sed praeterea, tum putidum est hoc ἐν τῷ ψηφίσματι, tum ineptissimum πρὸς τῷ κλέμματι γράψας· si quidem id, quod subiicitur, ipsum κλέμμα erat. Utrumque, et ἐν τ. ψ., et πρὸς τ. κλ., ab annotatore profectum esse puto.

§ 103. De tribus talentis, quo pretio ista psephismata tulisset Demosthenes, unum dicit Orator eum accepisse ex Oreo: τάλαντον δ' ἐξ Ὠρεοῦ, διὸ καὶ καταφανὴς ἐγένετο. Requiri suspicor δι' οὗ· neque enim *propterea* res manifesta facta est, sed per Oreum, modumque rerum publicarum ibi tractandarum.

§ 104. Vix intelligi potest responsum Demosthenis, cui quum talentum ex pactione deberent Oritae, hique debiti remissionem ab eo peterent, nunciantes statuam eius aeneam constiture se velle, ὁ δ' ἀπεκρίνατο — ὅτι ἐλαχίστου χαλκοῦ οὐδὲν δέοιτο, sed talentum se per Calliam exigere velle. Quid enim est ἐλάχιστος χαλκός? Et facile patior ista Bremium suo more explicare. Sed turbatum fuisse verborum ordinem suspicor, restituendumque, quo modo talia enunciari solebant, ὅτι οὐδ' ἐλάχιστον χαλκοῦ δέοιτο.

§ 111. μηδὲ δέξαιντο αὐτοῖς τὰ ἱερά. Si in hoc oraculi responso valere debet constructio Homerica, de qua Porsonus ad Hecub. 533, improbandum est αὐτῶν, quemadmodum edidit Bekkerus § 121. fin.

§ 114. Pro χιλίας, satius erit, opinor, e Codd. reponere δισχιλίας, ut haec pecunia tanta sit, quantam deinceps quotannis missuros se Locrenses pollicebantur, nempe εἴκοσι μνᾶς.

§ 122. *προσελθὼν ὁ κήρυξ ἀνεῖπε.* Verissime correxerat Marklandus, *προελθών.*

§ 127. *καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ ψηφίσματι πολὺ καὶ σαφέστερον καὶ πικρότερον σύγγραμμα γράφει.* Sed, quum recte appelletur *σύγγραμμα* totum psephisma, absurde dicitur *συγγρ. γράφειν ἐν τῷ ψηφίσματι.* E var. lect. reponendum *πρόσταγμα*, quemadmodum § 155 singulae psephismatis partes appellanter *προστάγματα.*

§ 130. Minutum hoc videatur; sed tamen obtemperandum iis Codd., qui in his, *μόνον γε οὐκ ἀνθρώπων φωνὰς προσκτησάμενοι,* istud *γε* intempestivum omittunt. Paulo post, *οὐχ ἱκανὸν ἦν τὸ τοῖς μυστηρίοις φανὲν σημεῖον φυλάξασθαι, ἡ τῶν μυστῶν τελευτή;* Suspicor Scholiastam explicuisse ea verba (*ἡ τ. μ. τελ.*) quae ipse in suo Codice deprehendisset, sed quae ipsa explicationem sapiunt antecedentium, non ab Oratore profectam. Quid enim? quod mystarum unus aut alter a ceto abreptus esset, appellari potuit eius *τελευτή*? Quatuor adeo libri habent *τελετή·* ut suspicari liceat, ad *τοῖς μυστηρίοις* adscriptum fuisse, *τῇ τῶν μυστῶν τελετῇ.* Totum hoc abiiciendum censeo.

§ 135. *Θῆβαι — βουλευσάμενοι — κτησάμενοι.* Defendi potest: sed nihilo deterius esset *βουλευσάμεναι — κτησάμεναι.*

§ 159. Hoc, inquit, vobis in memoriam re-

vocare volo, ὅτι Δημοσθένης οὐ τὴν ἀπὸ στρατοπέδου μόνον τάξιν ἔλιπεν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς πόλεως, τριήρη προσλαβὼν ὑμῶν καὶ τοὺς Ἕλληνας ἠργυρολόγησε. Reiskio videbatur aliquid excidisse post πόλεως. Non immerito. Suspicor locum sic supplendum esse, ut inserantur ὃς τότ' ἀπέδρα. Conf. § 253.

§ 162. De Aristione: οὗτός ποτε ὁ νεανίσκος ἑτέρων (l. ἑταίρων) τὴν ὄψιν διαφέρων γενόμενος ᾤκησε πολὺν χρόνον ἐν τῇ Δημοσθένους οἰκίᾳ. Unus Cod. omittit γενόμενος· sed neque hoc concedi potest, nec tamen διαφ. γενόμ. bene iunguntur. Nisi fallor, requiritur causa, quo modo factum sit ut cum Demosthene domi viveret: et legi poterit διαφέρων ὀρφανὸς γενόμενος.

§ 166. Intactum reliquit Bekkerus locum conclamatum, ne Toupii quidem nec Wunderlichii coniecturis commemoratis. Φορμορραφούμεθα ἐπὶ τὰ στενά, τινὲς πρῶτον ὥσπερ τὰς βελόνας διείρουσι. Credo posterius relativum desiderare, fortasse in hunc modum δι' ὧν (ἡμῶν) τινὲς πρῶτον βελόνας διείρουσι.

§ 166. ἐπειδὴ δὲ σιγᾷς, ὅτι μὲν ἀπορεῖς, συγγνώμην ἔχω σοι. Nisi fallor, et μὲν istud inopportunum est, et ἀπορεῖς requirit adiectum Infinitivum, v. c. εἰπεῖν.

§ 168. ἐκείνως δὲ ἀπολάβετε παρ' αὐτοῦ τὸν

λόγου. Fieri non potest, ut ἐκείνως sit *eo modo quo statim dicam:* diceretur enim ὧδε, alterum, ut cognitum est, de iis, quae iam commemorata sunt, usurpatur. Nempe requiritur Genitivus eius rei, quam explorari vult Orator, cuius λόγον ἀπολαβεῖν a Demosthene oporteret iudices, per quam ne decipiantur monet eos: ea autem est ἡ εὐφημία τῶν λόγων. Igitur legamus, continuatis verbis, quae nunc prave distincta eduntur: ἐκείνης δὲ ἵν' ἀπολάβητε παρ' αὐτοῦ τὸν λόγον, ἐγὼ μὲν κτέ. Coniunctivum illum duo libri habent.

§ 171. De Gylone, Demosthenis avo materno, qui Nymphaeum hostibus prodiderat: φυγὰς ἀπ' εἰσαγγελίας ἐκ τῆς πόλεως ἐγένετο θανάτου καταγνωσθέντος αὐτοῦ, τὴν κρίσιν οὐχ ὑπομείνας, καὶ ἀφικνεῖται εἰς Βόσπορον. In quibusdam libris omittitur ἀπ' εἰσαγγελίας· tamen non dedecet hanc formam iudicii instituendi, quae propria erat criminis προδοσίας, diserte commemorari: tantumdem valet, ac si dixisset εἰσαγγελθείς, i. e. simul atque εἰσαγγελία in eum instituta erat: ita supra § 79. Sed, quod subiicitur, θαν. καταγν. αὐτοῦ, praeposterum est propter sequentia, quasi iudicium non exspectasset postquam mortis damnatus esset. Hinc suspicor illa verba omittenda esse, quum praesertim § 172, tamquam nulla

ante eius rei facta mentione, dicatur, θάνατον γὰρ αὐτοῦ τῶν προγόνων κατέγνωτε.

§ 174. πῶς πέφυκε; δεινῶς λέγειν, κακῶς βιῶναι. Melius fecisset Bekkerus, si aliorum librorum secutus auctoritatem edidisset δεινὸς — κακός. Nam et πεφυκέναι cum Adiectivo dicitur ut § 170; et κακῶς βιῶναι aliud quid indicat, quam quod nunc in animo habuit Orator: tum Adiect. δεινός vindicatur adversarii auctoritate, qui talia et hinc, et e § 137. et 207. collegit Pro Coron. p. 318. init.

§ 175. Annotatorem mihi prodere videntur haec verba: εἰσὶ γὰρ καὶ δειλίας γραφαί. Nempe non fuerunt tales actiones, neque contraria sententia defendi potest ex Lysia Alcib. I. § 5—7, cuius loci postremam particulam quo modo emendandam censeam, retulit Cobetus meus in Annot. ad Orat. de Grammat. Officio p. 87.

§ 182. δωρεὰς δὲ τίνας ἐλάμβανον; ὧν ἄξιόν ἐστι μνησθῆναι. Sed in tribus libris omittitur ὧν. Recte: legendum enim, δωρεὰς δὲ τίνας ἐλάμβανον, ἄξιόν ἐστι μνησθῆναι.

§ 185. ἔστι που τὸ τῶν στρατηγῶν ὄνομα; οὐδαμοῦ, ἀλλὰ τὸ τοῦ δήμου. Sed στρατηγῶν non ὄνομα, sed ὀνόματα erant. Melius, pro τὸ (quod tamen in duobus libris omittitur,) legatur του.

§ 186. Statim post, pro προσέλθετε, e pluri-

bus libris revocandum erat *προέλθετε — εἰς τὴν στοὰν τὴν ποικίλην*. Modo erant in Hermarum porticu: nunc *pergendum* erat ad Poecilen, quae vicina erat. Harpocration v. *Ἑρμαῖ*, hunc ipsum locum Aeschinis indicans, haec addit: *Μενεκλῆς ἢ Καλλίστρατος ἐν τῷ περὶ Ἀθηναίων* (f. *Ἀθηνῶν*) *γράφει ταυτί. ἀπὸ γὰρ τῆς Ποικίλης καὶ τῆς τοῦ βασιλέως στοᾶς εἰσὶν οἱ Ἑρμαῖ καλούμενοι.* Corrigo, *στοά ἐστιν οἱ Ἑ. καλουμένη.* Mox, § 187, ubi est, *ἐν τοίνυν τῷ μητρῴῳ παρὰ τὸ βουλευτήριον*, duo libri omittunt *παρά*· sed abiiciendum erat totum hoc *π. τ. β.*

§ 191. *εἴ τις εἰσίοι γραφὴν παρανόμων εἰς δικαστήριον.* Quid mihi videatur de hac lectione, dixi in Prolegom. ad Apsin. p. LII. Non sane nimis fidendum est Codicibus, qui v. c. § 197. omnes *γραφή*, ut h. l. *γραφὴν* tuentur: iterum, F. L. § 14, *μετὰ ταῦτ' εἰσῄει ἡ γραφὴ εἰς τὸ δικαστήριον.* Et *δίκη εἰσιέναι* dicitur, ut apud Isocrat. Dicaeog. hered. § 17. et 31; de quo viros doctos tradidisse video ex annotatione Stallbaumii ad Platonis Criton. p. 45. E., ubi tamen revocanda est illorum librorum lectio, qui praeferunt, *ὡς εἰσῆλθεν*· alterum, *ὡς εἰσῆλθες*, ridiculum hoc efficeret, ut diceretur Socrates *εἰσελθεῖν εἴσοδον τῆς δίκης.*

§ 201. *ἐπειδὰν προσελθὼν ἐνταυθοῖ Κτησιφῶν.*

Imo προελθών, quod libri habent, nec aliis locis neglexit Bekkerus. In fin. § leg. ἀλλὰ τὰς τῶν ἐθελόντων.

§ 202. Non ignoro quidem aliquoties bis eadem dici solere ab oratoribus; sed tamen h. l. verba κακοῦργον ἄνθρωπον — ἀναιρήσειν, temere invecta esse suspicor ex § 16.

§ 205. Necessario ex libris recipiendum erat, ὡς οὐδὲ ἀνάξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς.

§ 207. Explicuerat modo qua ratione Demosthenes in ordinem defensionis cogendus esset. Ἀλλ' ἃ δὴ συμβήσεται ὑμῖν, ἐὰν τοῦτον τὸν τρόπον τὴν ἀκρόασιν ποιῆσθε, ταῦθ' ὑμῖν ἤδη δίκαιός εἰμι προειπεῖν. Ἐπεισάξει γὰρ τὸν γόητα καὶ βαλαντιοτόμον καὶ διατετμηκότα τὴν πολιτείαν. Quis ἐπεισάξει? In hac sententiarum continuatione necessario Demosthenes intelligendus est; id quod quum per se absurdum est, tum propter sequentia τὸν γόητα κτέ. quibus ipse Demosthenes significatur. Sed verba, nescio quo casu alienum locum invaserunt, revocandaque in suam sedem sunt § 202, et mutata tantum verbi persona, sic illa continuanda: — ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς. ἐπεισάξεις γὰρ τὸν γόητα — τὴν πολιτείαν. Reliqua § 207 aptissime cohaerent.

§ 209. περιγράψατε με ἐκ τῆς πολιτείας· οὐκ ἔστιν ὅποι ἀπαντήσομαι. Libri περιγράψετε, quod

melius, modo praeponatur *εἰ*, et haec continuentur cum sequentibus.

§ 212. Neque absolvitur syntaxis, nec sententiae satisfit in his, de Demosthene: *ὥστε τὴν μιαρὰν κεφαλὴν ταύτην — μυριάκις κατατέτμηκε καὶ τούτων μισθοὺς εἴληφε, τραύματος ἐκ προνοίας γραφὰς γραφόμενος καὶ κατακεκονδύλισται.* Requiritur, *κατακεκονδυλίσθαι προβαλλόμενος.*

§ 222. *περὶ τῶν τριακοσίων νεῶν.* Quod in quinque Codd. omittitur *νεῶν*, pertinet ad graviorem quaestionem, quam ad aliam, si concedatur, disputationem reservamus.

§ 223. *ὥστε τὸν κίνδυνον εἶναι μὴ σοὶ τῷ ἀδικήσαντι, ἀλλὰ τοῖς ἐπεξιοῦσι.* Requiritur *οὐ σοί.*

§ 228. *τὴν τῶν ἐμῶν λόγων ἐμπειρίαν.* Dubitare licet an praestet *εὐπορίαν*, quod libri afferunt. Sed certe requiritur *τὴν ἐμὴν λόγων.*

§ 233. *ἔπειθ' ὁ μὲν ὅρκος, ὃν ὀμωμοκὼς δικάζει, συμπαρακολουθῶν αὐτὸν λυπεῖ· [δι' αὐτὸν γὰρ οἶμαι γέγονε τὸ ἁμάρτημα·] ἡ δὲ χάρις πρὸς ὃν ἐχαρίζετο ἄδηλος γεγένηται· [ἡ γὰρ ψῆφος ἀφανὴς φέρεται.]* Quae uncis inclusimus, quamquam in omnibus libris feruntur, perquam mihi olere videntur commentatoris sedulitatem, et vim orationis labefactare.

§ 241. *βαρύτερον τῶν ἔργων ὧν πεπόνθατε τὸ*

ἀκρόαμα γίνεται. Bene videtur in uno Cod. correctum esse γενήσεται.

§ 243. Quod de Iphicrate dicitur, ὅτι μόραν Λακεδαιμονίων ἀπέκτεινε, proprie magis tum Demosthenes π. Συντάξ. p. 172, κατέκοψε, tum Dinarchus p. 54. ἀνεῖλε. Sed, quod statim post dicitur § 244. Δημοσθένει δ' ἀντεροῦ διὰ τί δώσετε; Corrigendum sane αὖ ἐροῦ.

De Dinarcho nihil proferre nunc in animo erat: sed ea, quae supra p. 279. sqq. disputavi de verbo προχειροτονεῖν, conferenda sunt ad emendandum locum in Orat. Contr. Philoclem § 14, ubi haec verba sunt: ἑωρακότες (οἱ θεοὶ) τὸν δῆμον ἅπαντα κατήγορον τούτου γεγενημένον καὶ προκεχειρικότα πρῶτον τῶν ἄλλων ἐπὶ τῷ τὴν τιμωρίαν ἐν ὑμῖν δοῦναι. Servant Codd. istud προκεχειρικότα, unus habet προκεχωρηκότα, quod nihili est. Sed neque προχειρίζειν activum Graece usurpatur, neque si concederetur, huius loci sententiae conveniret. Crimen, quod persequitur Orator, est Harpalicae pecuniae, idem, cuius Aristogiton arguebatur. Contendit autem a iudicibus, ut in re quippe manifesta nihil deliberent utrum factum sit, sed poenam tantum definiant.

Manifesta res erat per Areopagi, cui ζήτησις mandata fuerat, ἀποφάσεις· et huic auctoritati accesserat populi decretum in concione, iudicium tradendum esse Heliaeae. Plane eadem sunt, quae in Aristogitonea dixerat Dinarchus § 20: ἀναμνησθέντας ὅτι τούτου κατέγνωκεν ἡ βουλὴ — καὶ ἵνα τὸ πρακότερον εἴπω τῶν ὀνομάτων, τούτου καταχειροτονήσας ὁ δῆμος παρέδωκεν ὑμῖν τιμωρήσασθαι. Unde conficiendum hoc est, de Philoclis iudicio, tamquam per προβολὴν, quaesitum esse in concione, quae quum Heliaeae tradendum eum decerneret, sic exstitit populus ipse κατήγορος, προχειροτονῶν. Apertum esse credo, in Dinarcho corrigendum esse προκεχειροτονηκότα. Per abusum Orator § 21. fin. appellat τὰς τοῦ δήμου καὶ τὰς τῆς βουλῆς ἀποφάσεις. Parem enim vult esse auctoritatem istius προχειροτονίας, atque Areopagi ἀποφάσεως.